

WONDRHOFF
DE
REND EPISTOLIS
ITEN
OSHY SUS

AB
5548



Handwritten notes at the top of the page, including a large 'X' and the text 'la. d. r. m. 40' with a fraction '3/4' and 'K II'.



PHILOCHRYSUS

SIVE

DE LAUDIBUS

AURI

Orationes duæ,

Omnis generis hominum, præcipuè
Ecclesiasticorum, vitia falsè
traducentes,

quarum

Priorem inter Majoragii *αὐθένδοτα*

Mediolani repertam, & Ultrajecti Anno
1666 primùm editam, nunc recusam

sisit,

Posteriores ejusdem argumenti,
ipsis Kalendis Septembribus Anno 1690

Kiloni habitam,


adjiciens

DANIEL GEORG. MORHOFIUS.



LUBECÆ.

Sumptibus PETRI BÖCKMANNI,
ANNO Christi M DC XCI.




F

D

r
s
s
n
n
n
c
p
t
λ
3





Nobilissimo Amplissimoque Viro
FRIDERICO BENEDICTO
CARPTZOVIO,
Singulari omnium literarum
Ornamento,

S. P. D.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS.



Um ea, quæ in auri laudem
χρυσῶ χρυσότερα scripsit
Vir clarissimus Majoragus,
recudi facerem, idem me impetus inva-
sit, ut similis argumenti orationem ipse
scriberem ederemque. Hanc ut tuo
nomini, Vir Amplissime, inscriberem,
multa me impulerunt. Nam si argu-
mentum respicio, baud equidem scio, an
cuiquam convenientius dari munus
possit. Qui rectè de literis ἔ litera-
tis judicant, Te inter τὰ λεψανα
χρυσῶ γένος meritò venerantur:
Jamdudum enim literarum elegantio-

A 2

rum

rum singulari cultu, insigni variarum rerum scientiâ, ita innotuisti, ut nemo inter Italos, Gallos, Anglos, Belgas, qui aliquo eruditi nominis honore effulgeat, temerè reperiatur, qui non in suis Te habeat, & illam, quæ è communibus Musarum sacris contrahi solet, amicitiam tecum religiosè colat & observet. Quare nihil impensius, nihil enixius curas, quam ut tua Viri doctis studia atque officia probes, teque totum eorum utilitatibus impendas. Horum in numero etsi extremâ cavêâ sedeo, dignus tibi tamen visus sum, in quem benevola tua voluntatis propensio extaret, tot mihi argumentis spectata, tot honestissimis de me apud Tuos, apud externos, judiciis confirmata, ut nisi grato eam animo agnoscerem, improbum Officiperdæ nomen mihi subeundum sit. Vel nuper adeò, cum elegiam in Viri incomparabilis MARQUARDI GVDII obitum scriptam minutiore charactere recudendam

dam curares, ut facilius ejus ad exteros
 esset deportatio, luculentum affectus tui
 specimen ostendisti. Quâ de re ita ad
 me scripsit amicissimus noster MUR-
 LIUS, ut tuas ille virtutes tuumque er-
 game amorem mirificè extolleret. In
 ere ergo tuo sum: quo ut liberare me
 possim, imaginario hoc Auro tibi satis-
 factum existimes velim. Parum qui-
 dem in Seculo hoc ferreo aurei est: nam
 in ora & frontes ferreas ubique incur-
 rimus, & si quid aurei ostenditur, ita
 suberatum est, ut arugo undique perlu-
 ceat. Tu vero, Vir optime, ferrugino-
 so huic & aruginoso seculo Te ὀλόχευ-
 σον prestas: & ego, quoad ejus fieri
 potest, operam dabo, ut, quancquam arcis
 oculisque absit aurum, animo tamen
 nunquam abesse videatur. Vale & fa-
 vorem mihi tuum conserva. Dab. Kiloni
 e Museo meo, ipsis Kalendis Septembri-
 bus Anni cdo loc xc.

A 3

BE-

BENEVOLO LECTORI

S.

Quæ hîc Tibi sistitur Oratio,
 L. B. planè ad exemplum
 Majoragianæ orationis scripta est.
 Quemadmodum enim, dum aurum
 laudat ὁ εἰρων Majoragius, mirâ festi-
 vitate vitis omnium ordinum, præci-
 puè cleri Romani, illudit: ita & ego,
 qui eadem premo vestigia, ad eun-
 dem scopum tendo. Quæ hîc ergo si-
 mulatè de ordine sacro dicta sunt,
 eosdem, quos Majoragius intelligit,
 Gryphes χρυσοφάγος designant,
 qui omnes sibi solis aurarias natas pu-
 tant: ne quis malignè mentem meam
 interpretetur. Quis enim vir hone-
 stus bonis piisque in vineâ Domini o-
 perariis dignam mercedem, quis te-
 nuem illam vel mediocrem fortunam
 in videat? Verum τῶν ἔξω χρυσοφι-
 λία & φιλαργυρία adeo in vulgus
 inno-

innotuit, ut vel domesticorum convi-
ciis verberetur, & asperiore, quam
Majoragiana est, strigili depecti me-
reatur. Nec sane ipsi Majoragio usque
adeo à suis vitio verti potest, acriori
illa vitia sale defricuisse, quæ primam
defectioni fenestram aperuerunt.
Cæterum hominum vitia,

*Quæ redeunt iterum atque iterum spectanda
theatris,*

in apricum produci & atro carbone
notari, nemo ægrè feret, nisi qui cor-
vis veniam dandam, columbas vero
vexandas existimavit. Quibus ita ac-
quiritur, ita possidetur aurum, ut ex
Horatii monito funem potius seqva-
tur, quam ducat, nullos Satyræ un-
gves & dentes pertimescent. Forte eti-
am non deerunt, qui mihi occenta-
bunt:

*Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Ultrà quam satis est virtutem si petat ipsam.*

Denique & hoc monere visum est,

A 4

me,

me, ut in Declamationibus fieri solet,
multa ad ornandam causam attulisse,
quæ non serio nec ex animi sententiâ
dicta sunt; Aliud enim pugnare, aliud
ventilare est. Tu verò, B. L. bene
vale, nosque ama.



PRO-

PROGRAMMA Invitorium.

CRAS AURUM, (Cives laudanti plaudite!)
laudo,

Quod laudare levis, non dare, Svada potest.
Non hoc nos Auri & Vatum Pater unxit Apollo:

Quamquam uno proles nata parente sumus.
Hoc Reges donent Auro sub Rege. Sed ipse

LAUDABO : resonat Nympha jocosa: DABO.
Fallis inepta! Aurumne dabis, quæ ventus & au-
ra es?

Ut mala respondent nomina, verba dabis.
Non implent loculos, ut hiantia carbasa, venti;
Non arcas, quicquid tinniat ille, sonus.
Vos date nunc nobis aures Aurove benignas,
Et si non nostri, saltem amor hujus agat.
Aurum prima sonat Peitho, summa exit in au-
rum.

Aurum ego, non lapides hirtaque verba, loquor.
Ergo verba dabo, meliore sed uncta metallo.
Aurea si dederim, non malè verba dedi.

D.G.

D. G. MORHOFFI
ORATIO
DE AURO.



Redo vos, Proceres Civesque Academici, mirari, quibus ego causis inductus impulsusque fu-
rim, ut, cum Majoragii, præstantis-
simi Viri, auream de Auro orationem expla-
nare constitui, novo atque insolito more, ut in
re magna & memorabili fieri solet, amplâ
præfatione eam cohonestandam, vosque, Au-
ditores ornatissimi, ad ejus lectionem quasi
præmuniendos existimarim. Verum concide-
det illa vestra miratio, si ejus rei, quæ laudatur,
majestatem animo reputaveritis. Illa enim
quasi in regali folio posita, ut profanum vul-
gus odit & arcet, ac rustico quodam impetu
incurrentes repellit; ita non sine ceremoniis
& religionibus, perque gradus quosdam, ho-
spites cultoresque suos admittit, nec sine ver-
borum pompa salutari cupit. Quemadmo-
dum enim, qui potentissimos Principes aditu-
ri sunt, primum in vestibulis hærent, servulos
prestant, proxenetas & pararios circumspici-
unt, omnia secum verba commentantur: ita &
Aurum, quod ut omnibus mortalibus ita ipsis
Regibus imperat, reverenter nobis haben-
dum, ac omni orationis cultu, omni observan-
tia,

tiâ, omnibus verborum ornamentis decoran-
 dum scitote. Est præterea ipsi Auro arcana
 quædam insita vis, quæ ut animos mortalium
 mirifice demulcet, & ab ipsis penè sensibus ad
 sui contemplationem abducit; ita & meam
 blando illo fulgore mentem sideravit, ut Ma-
 joragii premens vestigia, ejusdem simul ge-
 nio impulsus, ad ejus laudes decantandas con-
 volarem. Quod enim Poëtarum dulcissi-
 ma carmina legentibus accidit, ut numeris il-
 lis extra se rapti, eodem plane animorum sen-
 su imbuantur; eadem, quæ illi fingunt, quasi
 oculis cernere videantur: idem mihi nunc
 contingere non dissimulabo, cui gemino quasi
 & Majoragianæ Orationis, & ipsius Auri, fa-
 scino animus excantatus est, ut in auri laudibus
 efferendis secundas à Majoragio partes sibi
 tribuat, post uberrimam ejus messem nova
 hæc spicilegia tentaturus. Quin & ipse (fate-
 bor enim) inter auri amatores nomen meum
 profiteor, sed qui amore casto, philosophico,
 innocentissimo in illud impellar, formæ ejus,
 ut ideæ cujusdam Platonice, attentissimus
 spectator & admirator. Nam ut vel arcâ
 conclusum possideam, vel ab ipso possideam,
 non multum laboro: neque per illam animi
 ac studiorum meorum integritatem licet, qui-
 bus bonæ illa mentis soror, nostri ordinis ho-
 minibus cognata, comitari plerumque con-
 suevit. Sive enim Philosophum, sive Orato-
 rem, sive Poëtam me vocetis, nullus ad aurum
 paran-

parandum idoneus mihi titulus est. Philosophi enim solo se obtutu oblectant, & in auri, quod nunquam possederunt, contemplatione, ut Argivus ille in navium & mercium, quas suas credebat esse, svavissimo spectaculo acquiescunt. Oratores vero & Poetae, illi aurea & aureae aetatis verba, hi aurea carmina fundunt, sed quae auro obryzo non accenset Monerarius, & quibus sibi minime satisfactum foenerator Alphius existimarit. Nunquam vel fando auditum est, in illis montibus, quibus Musae habitant, aurifodinas fuisse a quoquam indagatas; qui sterilibus lauri frondibus quidem abundant, sed inter steriles suas arenas illud unam liquidam literam imminutum aurum non pepererunt. Etsi enim inter laurum & aurum magna esse affinitas videtur; ita tamen a se distant, ut illa umbram quidem sine fructu spargat, hoc & lucem largiatur, & in luce omnium ponat. Vos denique si respicio, Juvenes lectissimi, neminem e vobis fore arbitror, qui aurum odio Vatiniano prosequatur, aut cum Aristippo in mare abjiciendum ut inutilem saburram putaverit; etsi forte inter vos non sunt, illam in aetate, quae consu-

lere

lere in longitudinem non solet, qui sciunt,

Quid valeat nummus, quem præbeat usum,
aut qui singulis Idibus pecuniam relegunt,
ut proximis Kalendis ponant: erunt tamen,
ut autumo, qui non quidem præ cæteris
amasiis, sed inter illas, aut illarum
causâ, bellulam nostram Chrysidem, Aurum
innuo, sibi amandam arbitrentur.
Quare vel saltem eam ob causam Auri
laudes non inviti audietis, quod carere illo
minime possitis, si genio illi, quem in
Pamphilo suo Simo, in Æschino Micio
Terentianus describere, obsequi velitis.
Nam qui ad Euclionis ingenium vos accedere
crediderit, næ ille gravi vos injuriâ
affecerit, de quâ ad Prætorem in jus adire
fas esset; aut vos, si auri nimia vos cupido
tangeret, litem æstimare possitis. Ad-
este ergo Juvenes Optimi, auresque mihi
de Auro oranti commodate, qui nunc quidem
non ferream vocem aut ora ferrea, ut
Poëtæ solent, sed aurea illa à Diis poposce-
rim, aut χρυσόστομος, id est, aurei oris homo
esse malim, ut scitulâ, politulâ & plane au-
rea, quæ Majoragianæ simillima sit, oratio-
ne Majoragio quasi secundarius Orator
acce-

accedam. Non celabo Vos horribile se-
 cretum, Auditores, quod mihi Majoragii
 nomen Lynceis intuenti oculis Delius, ut
 puto, Augur, ipse Auri pater, prodidit, nul-
 li vel Chrysippéo acumini postponen-
 dum. Vertamus illas in voce MAJORA-
 GIUS literas, quales μεταμορφώσεις non
 Poëticas, sed Grammaticas, minuscè amare
 Versificatores nonnulli solent, ac manife-
 ste deprehendemus, quàm in ipso ejus no-
 mine AURI IMAGO abscondatur, si ulti-
 mum è nomine sibilam dempseris, qui
 ab Ennio aliisque vetustis Poëtis absorberi
 nonnunquam solet, & nescio quo sono sa-
 tyrico exhibilare hominum vitia videtur.
 Quis ergo nativis adeo coloribus depi-
 ctam ab illo auri imaginem miretur, cum
 ipse oraculo Grammatico Auri Imago,
 quæ tamen cum cauda illa satyrica ince-
 dat, salutetur, omniqve illa luce omnes
 hominum ordines tam bellè, tam elegan-
 ter, inauraverit. Quod si ad illam aureæ
 lucis imaginem adspirare nos oratione
 plumbeâ non possumus, saltem instar ci-
 cadæ, quam in aureâ Apollinis cytharâ
 consedisse fabulantur, suavissimos con-
 centus stridula voce imitabimur, & verâ
 auri

auri istâ imagine vel plumbeam vel æream orationis nostræ faciem incrustabimus. Vos modo id mihi concedite, ut, quemadmodum Hippomenes Atalantæ currenti auro sparso moram injecit, ita hoc meo quanticumque auro animos mihi vestros per horæ spatium adjungam: quod quidem non de manu in manus tradetur, sed ore prolatum auribus vestris excipietur.

Cum illi, qui dignitatem majestatemque rei, quam laudant, verbis extollunt, natales ejus exquirere sollicitius soleant, idem & mihi faciendum animadverto. Quâ in re etsi Majoragium præire video, segnius tamen ille negligentiusque eo in negotio versatur, quod nobilitatis tantæ originem non ex iis sedibus deducat, unde deduci debere, istis argumentis, quæ ipsum auri fulgorem superent, declarabo. Hic mihi in ipso orationis limine cum istis Terræ filiis acerrima dimicatione contendendum est, qui Aurum terræ ac luti progeniem dicere non verentur. Hinc tot jejunorum, hominum frigida declamationes ortæ qui à studio auri colligendi homines dehortantur, quod illud natura ab humano usu

usu remotum animis operâque nostrâ in-
 dignum esse voluerit, cum intra terræ hor-
 rendos specus tenebrasque nulli mortali-
 um, nisi insanam vim admoverit, pervias,
 abdiderit. Non desunt, qui ipsi Plutoni
 ac inferorum regno omnem, quanta per
 Tellurem dispersa jacet, auri vim in patri-
 monium adscribant, & ab ejus possessione
 humanum genus quasi perpetuo interdi-
 cto excludant. Id vero plane nefarium
 ac scelestum facinus est, ad cuius improbi-
 tatem nihil addi posse videtur, quod, qui
 ipsi insano auri amore clanculum exar-
 descunt & cruciantur, perque insidias &
 technas corradunt, nunquam auro exple-
 ti, foris tamen simulatâ aliquâ & versutâ
 tristitiâ strenuos se auri contemptores ja-
 ctitant, quod toties pseudothyro intromi-
 serunt. His scilicet rugis, hoc supercilio,
 hoc importuno vultu, populo imponunt,
 cum, si palàm istum auri amorem profite-
 rentur, ingenuitatis laudem ab omnibus
 reportarent. Qvis ferat Senecam, illum è
 Stoâ, si Diis placet, Philosophum, qui do-
 mi ad summam Neronis invidiam auro
 immersus, tot conviciis innocentissimum
 aurum insectatur, ipsamque rerum natu-
 ram

ram sugillat, quæ non auro majus, quàm quod detrahi possit, pondus injecerit. Magnifica & sonora passim sunt illa ejus verba, quibus virtutes in auri dedecus extolluntur, cum & auro suus, suus virtutibus, honos sit, neque ab auro ullâ in re, virtutes dehonestentur, quædam vero earum sine auri interventu minimè exerceri possint. Sed hos malitiæ suæ relinqvamus, non verbis sanandos, sed verberibus coërcendos: Ad cæteros illos hominum insipientissimos nostra redit oratio, de quibus merito Satyrici illa pronuncies:

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!
 quibus ille ab auro fulgor sanctiores illos natales suos ultro non ingerat, nec radiis suis velut exserto digito ostendat. Quis tam tardus, tam expers sensus, tam ab omni mente derelictus est, ut hoc non animadvertat, non intelligentiâ percipiat, non ipsis pene manibus palpet? Aurum, si nescitis, ô deliri homines, non terræ, sed cœli progenies est, quod ego nunc confecturum me promitto: Vos modo, quorem deducam, attendite. Cum universam hanc Mundi machinam creaturus summus rerum conditor & gubernator

B

DE-

DEUS, primum in informem massam, maria, coelum, terram, astra omnia, compegerat; singulas dehinc naturas suis sedibus se junctas explicaturus atque exornaturus, Coelum à Terræ spissitudine, lucem à tenebricoso corpore, divisit, quæ per imensos orbés agitata primâ illa rotatione in lucidos Cœli globos abiit, repetitis deinde vibrationibus, ac continuo ad solida allapsu, puriorem ejus partem in congenerem, nec externa specie sibi dissimilem, formam convertit. Hinc natum est aurum, non illud, quod fornacibus nostris excoctum in fulgidissimam illam massam conflatur, sed longe nobilius ac divinius. Non enim cum illo comparandum aurum est, quod manibus hominum tractatur, quo indigentiam nostram solamur, ex quo nummos cudimus, quod in bracteas diffusum, corporibus ad tenebras eorum illustrandas inducitur? Quamquam & hoc cœlestem illam originem specie suâ ostendat, & auro illo primævo, quasi parente, gignatur. Varia sunt Auri genera, per gradus suos (ut cum Philosophis loquar) formales distincta, de quibus mirabilia nobis narrant veteres Judæorum Magistri

gistri, septem ejus genera constituentem.
 Verum hæc mysteriis affinia sunt, & sapi-
 entiaë reconditaë plenissima, neque ad
 nos nunc pertinent, qui ad popularem
 auri usum tantum respicimus, hoc tamen
 in loco, cum de auri nobilitate disquiri-
 tur, minime nobis dissimulanda. Id er-
 go vos notare velim, quam primum lux
 in hac rudi indigestâque mole agitari cœ-
 pit, Aurum in terra natum esse, veram e-
 jus primamque sobolem, quod in hoc
 Telluris globo externo illo arenarum, la-
 pidum, luti, cortice tegitur, in sole verò
 & globis cœlestibus in summam rarita-
 tem attenuatum, massa tamen congenere,
 tenace, fluidâ interfertâ, in se perpetuâ gy-
 ratione convolvitur. Lux ergo aurum æthe-
 reum est; Aurum lux est, ex arcano cœli &
 terræ conjugio in corpus terrestre, quod
 tamen cœleste esse non desinat, ut ipsis si-
 deribus terra aliqua cœlestis inest, inspissata.
 Hanc lucis & auri affinitatem ipsæ sacræ Li-
 teræ exprimunt, cum eâdem voce, quâ au-
 rum significant, cœli quoque serenitatem
 appellent. Nam cum apud Jobum legitur:
מִצְפוֹן זָהָב יָאֵתָהּ *ab aquilone aurum venit,*
 nonnulli hoc ita interpretantur: Ab A-

qviline venit aurea lux, id est, serenitas
 purissima; qvia venti aqvilonares nubes
 dispellunt. Nos quidem huic interpre-
 tationi litem non movemus, qvæ isto sen-
 su mirifice sententiam nostram illustrat,
 non tamen ignari, alio qvoqve, nec cuivis
 obvio, sensu accipi illa posse, qvi tamen
 nobis non adversetur. Id Latini qvoqve
 veteres probè intellexerunt, qvi Auroræ no-
 men ab auro esse voluerunt: Qvod Germa-
 nis qvoqve nostris suboluit, qvi Auroram
 aurum in ore tenere vulgato proverbio
 dixere. Nam, ut Varro nos docet, *Aurora di-
 citur ante Solis ortum ab eo, qvod ab igne Solis
 tum aureo aër aurescit.* Qvot verba hîc
 auditis, tot rerum pondera, aut, ut rectius
 dicam, mysteria sunt, ex intimæ arcanæqve
 Philosophiæ adytis deprompta. Ignem
 solis vocat, qvem nos singulari qvondam
 Dissertatione in sole demonstravimus, &
 qvi ejusdem cum luce naturæ particeps
 est, qvod vel Hebræi vocibus illis אור &
 אור declare voluerunt, qvorum illud lu-
 cem denotans in apice punctum tenet,
 hoc quasi in ventre conclusum gerit; qvo
 lucis natura tenuior, ignis vero crassior &
 inspissata innuatur. Lux enim ignis atte-
 nuatus,

nuatus, ignis Lux in corpus densata est. Utriusque naturæ particeps Aurum est, quod non immerito αἰθόμενον πῦρ, *Ignem urentem*, Pindarus vocat, inque ipsis lucere tenebris ait. Ab illa Hebraica voce, sive lucem sive ignem velis, ipsa Latina illa Aurum descendit, quæ obscuro illo sono, ut hodie Italis vox *Oro*, efferebatur. Ignem præterea aureum nominat, quasi aurum ex igne, & Sol ipse ex auro constaret: Neque enim fortassis inepta & absurda sunt præstantissimi Philosophi Honorati Fabri argumenta, qui Solis globum ex auro fuso compositum arbitratur. Aërem denique ipsum aurescere dicit, quo viam ostendit acutulis illis, qui in ipsâ aura aurum venantur, & arcanâ arte mirabilibusque machinis educere laborant, ac Promethei instar Soli ignem suum, id est aurum, furantur. Quæ si vera sunt, ut vera esse aliqui contendunt, habent quo solari jacturas suas possint Chemicorum filii, cum aurum suum in fumos & auras extenuaverunt: Spes enim, quæ Agricolas alit, & quemadmodum in extrema Pandoræ pyxide, ita in furnorum fumaris resedit, illis superest, fore, ut aliquando cum am-

plissimo foenore ex illâ auræ aurifodinâ ad se rediturum sit. Nam si auræ afflatu eqvæ gravidæ factæ sunt, forsan & fornaces suas auro per auram imprægnandas non insipienter speraverint. Intellexistis, opinor, quàm latè auri nomen pateat, quàm se à Cœlis ad Terram extendat, perque omnia rerum abdita diffundatur. Quod cum sentiant multi, non sine causa, ut scilicet ostendant, quo desiderio potissimum laborent, omnia auro illinunt: Nam & arma, palatia, pocula, vasa, libros, clypeos, fercula, insignia, & quid non? tenui auri bracteâ inducunt, ut, quantum licet, totum hunc orbem, in quo vivunt, habeant aureum, ejusque fulgore tenebras orbis dispellant, & tanquam solis radiis illustrent. Nam illos Suillios aut Stercutios, vel ex Imperatorum numero, qui ventris aut vesicæ onus auro excipere non veriti sunt, ex auri cultorum ordine, ut homines profanos ac sacrilegos, exesse jubebo. Vos tamen vel ex eo animadvertetis, quanta auri dignitas nobilitasque sit, quod omnia sua luce involvat, & quasi imperio suo contineat, ne ipsis quidem Regibus exceptis, qui cum coronas aure-

as,

as capiti suo imponunt, vel ipso hoc facto se, qui omnibus imperant, auro tamen subjici ostendunt, ut, cum vulgo non nisi Deum & gladium superiorem agnoscere credantur, nunc tamen ipsum aurum, cui sua sæpe imperia debent, superius agnoscant. Interrogate jam ipsos, sensus vestros, & cum pleraque in hoc orbe auro tecta & incrustata videtis, vestris cum animis reputate, quam ad ipsam lucis naturam auri majestas accedat. Annon enim miraculo proximum est, a deo sine laceratione sui diduci aurum posse, ut minutissima ejus pars magnam corporis molem tegat, & ingenitâ sibi luce conspicuum reddat? Interrogate artifices, ac ab illis discite, tertiam grani partem, quo vix tangi minutius aliquid possit, in centum ac triginta quatuor pedum filum tendi posse; quod nemo crederet, nisi experimento quotidiano jam innotuisset. Hic vero mirabilem illam lucis naturam recognoscite, quæ, ut extra materiæ tarditatem posita longelateque & quasi in ipso illo nutu diffunditur, ita materiæ juncta & cum ipsa concreta ne nunc quidem naturam suam exuit, sed quantum per materiæ

lentorem licet, eam secum dispergit, latius etiam sparsura, si humana solertia particularam tenuissimarum vestigia crassioribus instrumentis assequeretur. Nam de mirabili illa per artificium ignis attenuatione nunc non dicam, quâ unum auri, non vulgaris, sed philosophici, granum pene infinitâ aliquâ & divinâ vi foecundatur, ut vel mille argenti vivi libris illam auream lucem infundat, quæ sanctioribus Sapientum scholis sunt reservanda, Ubi sunt jam illi amentes, & fatui, qui aurum, ut illi in Solem injurii Æthiopes, convitiis proscindunt, & divino consilio intra Terræ viscera abditum, ne humanis usibus pateret, nugantur? An ignoratis, ô stolidi, Sapientissimum Deum ea, quæ præstantissima sunt, in occulto posuisse? ne indignis illa scilicet diriperentur, sed homines labore suo indagarent: Nam, ut vetus verbum est, Dii vendunt dona sua laboribus, ut vel nucleum nemo esse possit, nisi nucem fregerit. Ergone divina beneficia adeo malignè atque adeo in Dei injuriam interpretabimur, ut, cum illa nobis non obtrudantur, nos compressis sedeamus manibus, donec fors aliqua vel

Θεός

Θεός ἀπὸ μηχανῆς nobis objecerit, ne videlicet divinæ voluntati homines inepti refragari videamur? Solem è mundo tollunt, qui aurum è commercio hominum, velut alterum solem, proscribunt, neque animadvertunt, omnes, quotquot in hoc orbe vivunt, homines ad auri, tanquam cœlestis alicujus doni, custodiam quasi divino consilio destinatos. Ac sunt sane illi non tantum in Deum auri opificem & largitorem, sed in omnes terrarum dominos, injurii, qui, cum suam auro imaginem imprimunt, ejus cultum hominibus commendant, & à suâ Majestate venerationem illi conciliant: Quam lædere quodammodo dicendi sunt, qui aurum in dias luminis auras prolatum execrantur. Hos ego homines, si mihi animadvertendi in illos facultas daretur, in carcerem detruderem, & loris cædi juberem, recitato ad singula verbera aureolo illo Virgilii versu:

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos!

Divos vero? quid hæretis attoniti? Divos, inquam, id est, nummos aureos, qui Deos ipsos in cœli sede, ut postea audietis,

B 5

collo-

collocarunt atq; ideo plus quã Divos, Divos inquam, Divorum Imperatorum, Pontificum, Principum, Heroum, imaginibus insignitos, quorum aliqui etiamnum vivunt, & auro suo fruuntur, aliqui ob præclara merita jamdudum auri patriâ, Cœlo scilicet, sunt recepti. De quo dubitare nefas esset, cum apud gravissimum autorem Plutarchum Gryllus ad Ulyssem dicere non erubuerit, illum Diis maxime charum esse, qui auro abundaret. Et quidni esset? cum & aurum ipsum Diis in pretio & honore haberi, noster nos docuerit Majoragius, qui & ipsi aurei vocantur. Plerumque enim amare eos solemus, qui eadem nobiscum amant. Solis filium illud plerique Philosophorum salutant, ejusque caractere designant. Sappho quoque filium Jovis dicere verita non est, de quo nunc eo minus dubitandum videtur, quod aurum fulmina spargere sciamus, unde & fulminans dicitur: ut vel eo ipso non degenerem se Patris sui filium ostendat, quem ut Tonantis nomine passim Poëtæ appellant, ita nunc auro quoque nostro hunc titulum velut cum Jove ipsi communem concedant necesse est.

Ac

Ac fuere sæpe, & nunc sunt, qui graviora auri fulmina in familiis, domibus, fortunis everfis, magno suo malo senserunt. Nam quod populos excindit, urbes evertit, non ferrum aut ignis sulphuratus, sed aurum est. Sed & ipsum Jovem in aureum imbrem mutatum Poëtæ tradiderunt, ut in Danaës sinum illaberetur: Qui si iterum in aurum liquari velit, omnes, quotquot sunt, Danaæ & Pamphili sinus suos, vestes, vasa, manus, forte etiam ora ipsa, panderent, tam gratum hospitem avidissime excepturi, aut planè devoraturi. Nam cum Jovis omnia plena dixit Maro, hujus illi Jovis aurei omnia plena mallent. Novimus, & in deliciis fuisse Diis aurea donaria, quorum templa passim auro, non facto tantum, sed & rudi, exornata fuere. Nam ut Diodorus Siculus de Gallorū veterum sacellis & delubris prodidit, multum in illis auri in honorem Deūm passim disseminatum jacuit, quod nemo (tanta ejus religio fuit!) ut rem sacram contingere ausus est. Veniant nunc, & non per sacella aurum spargant, sed in aris & in Thesauris reponant, vel ipsi Jovi custodi & vindici; tanquam cum Diis ipsis in
amo-

amore rei divinissimæ certaturi auri amatores eriperent, majori sibi, quam Diis, usus futurus. Cræsum mille lateres aureos ad aram Apollini Delphico exstruendam misisse accepimus; Nunc vero vel ipsi Iro, si quid haberet, aurum Cræsi ditissimi eriperent. Adeo amor illi aurum cum tempore crevit, adeo aurea ista religio ubique dominatur, ut ego sæpe mirer, cum adeo altis radicibus aurum mentibus hominum insederit, ut vel somniantibus & concumbentibus ejus memoria obversetur, nunc non nasci aliquando homines ungvibus aureis præditos, ut puero dentem aureum in Silesia natum fuisse tradidere. Sed ferreos illos esse oporteret, qualibus Gryphes, nisi fallor, armatos nonnulli fabulantur, cum aurei ad rapiendum nec firmi satis nec acuti videantur. Nondum omnia, quæ auri excellentiam vobis demonstrant, enumeravimus. Cæli sobolem, Jovis filium, Diis carum Aurum diximus. Majus aliquid & admirabilius audietis. Tantâ Aurum potentiâ & divinitate est, ut ipsos Deos faciat Cæloque suo donet. Non enim jam Jovis filius est Aurum, ut Sappho dixit: sed Jovis

vis

vis ipsius Deorumque omnium Pater, non
quidem Parratus, sed Patrator. Cum Dru-
silla, Caji Cæsaris Caligulæ & soror &
concubina, moreretur, fuit Livius Gemini-
us Senator, qui in cœlum euntem se vidis-
se, interque cæteras Deas majorum genti-
um consedisse, sacramento asseveraret;
execratione additâ, si sciens falleret, se o-
mnes Deos, Deas, & ipsum Drusillæ nu-
men infestum & implacabile habitu-
rum. Quid fit? Decernit Senatus, ut sta-
ret in templo Veneris aurea, ut pari reli-
gione cum Deûm matre coleretur, ut Pan-
thea nominaretur, ut per ejus Numen ju-
raretur. Quid ergo dicetis, Auditores, im-
pulsit Livium Geminium, ut hæc jureju-
rando testaretur? Quid senatum, ut cre-
deret? Viginti illæ drachmarum myria-
des, quæ Livio Geminio de publico solve-
bantur, divina scilicet illa auri potentia
effecit, ut à Livio Geminio consecraretur,
& hujus testimonio nixus Senatus illam
pro Dea veneraretur. Sed ne quis Caji
Caligulæ hanc dementiam interpretetur,
eadem jam ante in Octaviano Augusto
ἀποθέωσις instituta, quem Humerius Sena-
tor se in cœlum volantem prospexisse, ac
intra

intra penetralia Deorum receptum jura-
 vit. Igitur Patres ipsi tanquam Deo tem-
 plum & Flamines decreverunt. Livia ve-
 rò Humerio pro tam insigni testimonio
 ducenta & quinquaginta drachmarum
 millia numeravit. Hæc omnia Romuli
 quidem exemplo ita acta fuisse certum est;
 sed hîc auri illa majestas intervenit, quâ
 impellente factum est, ut non solum ex
 auro, sed ipso auro, factos Deos Roma ado-
 raret. Quæ si Hesiodi ætate contigissent,
 præcipuum ille auro in Theogonia sua lo-
 cum tribuisset. Quandoquidem ergo, ut
 vidimus, Auditores, cœlesti origine pro-
 diit Aurum; quandoquidem Diis carum,
 Deosque ipsos facit, cur Archiepiscopis, E-
 piscopis, Prælatiis, quos adeò ob auri cupi-
 ditatem extollit Majoragius, vitio habea-
 mus, si, quæ sua, quæ cœlestia sunt, curent,
 ac singulari in aurum amore ferantur?
 Nam cum aurum amant, Lucis se filios
 esse scilicet ostendunt, cujus progenies
 Aurum est: Ad cœlestem Solymam, quæ
 tota ex auro est, quia ex auro est, toto pe-
 ctore adspirant, cum jam tum in terris a-
 mœnam ejus faciem in auro suo, velut in
 typo, speculantur, viamq; ad illam hoc
 auro

auro suo Duce & Phosphoro indagant. Ejus tam præclari tam nobilis argumenti vim Majoragium non assecutum fuisse miror, qui solícite adeo causam illorum agit, & adversus fatuos illos & ineptos auri contemptores ac sacri ordinis insectatores defendit. Quare, Auditores optimi, nec ipso illo, de quo loquor, auro contra cari, arrigite ad auri adspectum aures, & quem admodum veteres, ad lumen illatum exclamare solebant, *Χαῖρε Φίλον Φῶς*; ita Auro acclamate, basia illi ut dulcissimæ amasiæ figite, nec oculos tantum illa voluptate pascite, aut extremâ lineâ, ut Comicus loquitur, amate; sed ipsis oculis vestris, ut in thalamo dulcissimo, recondite & componite, non sterili illo & infœcundo, sed unde certissima felicitatis pignora vobis polliceri possitis. Nam etsi Pasicompsen aliquam & vel Helenam ipsam in thalamos vestros intuleritis, ne Salus quidem ipsa vos servaverit, nisi illa Caja vestra cum Pythagorâ aureum vobis femur ostendat, id est, ut ego interpretor, aureo latere inopiam vestram suffulciat, & velut gallina Æsopica ova vobis quotidie aurea pariat, vel, ut planius loquar, aureorum num-

nummorum cumulo obrutos beatos reddat. Hactenus illam auri nobilitatem à cœlo, ab astris, à Diis, Auditores, deduximus: nunc ad illa, quæ nos propius attingunt, ad primum illum Terræ incolam Adamum veniemus, & quæ ipsi cum auro cognatio sit, dispiciemus. Neque enim cum vulgo existimare debetis, è vili illo luto, quod pedibus calcamus, nobilissimum Adami corpus fuisse compactum. Terra illa purpurea fuit, illa scilicet, quæ auro natales præbuit, & quam auri divini nomine efferunt, qui arcana ista altius rimantur. De quo etsi missitant nonnulla veteres Judæorum magistri, qui, cum Gentis suæ scita & linguæ secreta interpretantur, præ cæteris audiendi sunt; nunc tamen vel è Christianis sunt, neq; contemnendæ autoritatis, qui eorum sententiæ non solum accedant, sed & rationibus non omnino vanis confirmatum eant. Totum ergo illud corpus, (audite singulare mysterium auditores) totum, inquam, illud corpus, quod existis ossibus, illâ carne, illis nervis & fibris, isto sanguine congestum à DEO est, cum è nihilo ab Illo po-

tuisset

tuis
teria
bere
mus
iniqu
amo
mest
guin
anim
que
jube
ipse
næ is
sed
poti
dum
oster
Epic
deri
ceci
Qua
testi
hab
lum
stro
ipsu
us el

tuisset produci, ex ipsâ illâ primâ auri ma-
 teriâ productum est. Quod cum ita se ha-
 bere illi testentur, neque nos negaturi si-
 mus, quis est adeo perfrictæ frontis, adeo
 iniquus rerum aestimator, ut illum aurî
 amorem, quod intestinum homini & do-
 mesticum est, quod ipsis illius fibris, san-
 guini, pectori, visceribus, ingenitum est,
 animo extirpare, ipsique rerum naturæ, at-
 que adeo humano generi, bellum indicere
 jubeat? Quod sane qui fecerit, aut si quis
 ipse adeo averso ab auro animo fuerit;
 nã is non genuinam se Adami sobolem,
 sed vel à Præadamitâ aliquo, aut, quod
 potius duxeram, è Deucalionæorum lapi-
 dum jactu progenitum ac procreatum se
 ostenderit. Nam, ut vel ex intermundiis
 Epicuri, aut ex Lunæ orbe ad nos descen-
 derit, aut tanquam tertius è Cælo Cato
 ceciderit, minime credibile videatur.
 Quare, cum nemo, vel ipsis Sacris literis
 testibus, carnem & sanguinem suum odio
 habuerit, an nunc demum gentilitium il-
 lum auri amorem, qui cum sanguine no-
 stro concrevit, exuemus? an aurum, quod
 ipsum mortalium sanguinem Vates Ascræ-
 us eleganter non minus quam verè ap-
 pel-

C

pel-

pellavit, è generis humani consortio, in Deum hominesque injurii, proscribe-
 mus? Honestius de nobis, deque toto hu-
 mano genere sentiendum est, quam ut in
 hoc tanto, tam atroci, tam singulari, fla-
 gitio deprehendi, ac ipsius naturæ jura
 subvertere velimus. *Est hæc, Auditores,*
ut cum Tullio meo loquar, non scripta,
sed nata Lex; quam non didicimus, accepi-
mus, legimus; verum ex natura ipsa arripu-
imus, hausimus, expressimus; ad quam non
docti, sed facti; non instituti, sed imbuti su-
mus; ut cognatum nobis & quodammodo
 Parentem nostrum, Aurum, certatim ame-
 mus, omnibusque horis, oculis, complexu
 teneamus, & velut in beneficum aliquod
 sidus intueamur. Neque tantum hoc na-
 turæ instinctu, sed & majorum exemplo
 faciamus, qui quo propius ab ortu & divi-
 nâ cognatione abfuerunt, eò magis auro
 addicti fuerunt: ut & tota illa, qua vive-
 rent ætas aurea diceretur. De illâ pluscu-
 la Majoragius è Poëtis narravit, eamque,
 quibus potuit, laudibus extulit. Sed
 multo sunt majora, quæ & Auri præstan-
 tiam arguunt, & hominum, qui auro suo
 ad vitæ felicitatem uterentur, singularem
 sapi-

sapientiam testantur, Nam cum eâ vitæ innocentia essent, ut ad familiarem conversationem Deus ipse admittere non dedignaretur; aurum verò non aliam ob causam, quam ob excellentiam divinasque ejus virtutes, amarent; non immeritò viri sapientissimi cœlesti, quod ex auro paratur, pharmaco vitam à morbis immunem, & ad tot secula propagatam, duxisse suspicati sunt. Quæ si vera sunt, ut multi nobis persuadent, primo, si ab humanâ mente discesseris, loco reponendum aurum, & post divina præ cæteris amandum, nobisque in eo colligendo ac cognoscendo omni tempore, omni conatu & spiritu, laborandum est.

Multa magnaque sunt, quæ de Auri præstantiâ diximus, plura etiam dicturi, si omnia istius generis, quæ copiosè Majorius differuit, enumerare animus esset. Nunc ea tantum elegimus, quæ ille omisit, & quæ tamen maxime excellent. Sed cum & illa à superstitiosis nonnullis argui suspiciosè possint, ad unum illud & præcipuum causæ nostræ munimentum accedamus, quo tueri se Præsules, Prælati, Archiepiscopi, & cujuscunque ordinis Religiosi

giofi possint, si forte à sanctulis nonnullis
 impugnentur. Nemo est è vobis, qui
 ignoret, Salvatori nostro sanctissimo, cum
 primum nasceretur, & ingrati illi Judæi o-
 culos animosque ab illo averterent, à Ma-
 gis ex oriente venientibus, cum dignius
 illo munus non invenirent, Aurum cum
 thure & myrrha fuisse oblatum. Neque
 illos cum auro suo rejectos fuisse legi-
 mus, sed insigne hoc regiae dignitatis axi-
 oma, vel, ut quidam volunt, divinitatis
 argumentum, habitum fuit. Nam Divini-
 tatem auro significari, interpretes nonnul-
 li volunt, ut, cum in Cantico sponso ca-
 put ex optimo auro esse dicitur, divinam
 illonaturam intelligendam arbitrantur.
 Quare, Auditores, in illo Magorum, qui
 rerum divinarum atque humanarum sci-
 entissimi erant, iudicio acquiescamus, eo-
 que loco & numero, quo illi habuerunt,
 aurum habeamus; quod illi quasi quod-
 dam divinæ lucis, totiusque orbis, simula-
 chrum & compendium rerum omnium
 Parenti optimo maximo in suæ subjecti-
 onis signum, in amoris arrham, in vene-
 rationis documentum, quasi primitias
 quasdam exhibuerunt. Nam cum thus &
 myr-

myrrham illi addiderunt, quæ in fumos
dissipari solent, ut cætera hujus orbis va-
na, caduca, præ illo immortali, solido,
firmo atque adeo divino, auro innuerent,
universi tamen hujus compagem, tum quæ
fluxum & instabile, tum quæ firmum &
perenne est, in hoc dono respexerunt, ita
ut ad ejus autorem referrentur, ejusque su-
premo dominio cederent universa. De-
inde cum, sublato in cælum à gloriosa re-
surrectione Salvatore nostro, sancta hæc
civitas ejus in terris à primis conditoribus
conderetur; quid tum factum fuerit, o-
ptimè, ut puto, meministis. Nam qui
tum in cœtum illum confluxerunt pii
homines, agris, domibus, omni que
supellectile venditâ, aurum illud,
quod ex eo collegerant, ad Apostolorum
pedes, memorabili generosæ charita-
tis exemplo, deposuerunt. Adeo nec
illo tempore sacra sine auro consiste-
re potuerunt, neque charitatis officia,
quæ & ipsa auri voce notari solet, sine au-
ro exercentur. Utinam his exemplis sa-
perent improbi homines, qui sacro ordi-
ne indignum neque satis honestum esse

C 3

arbi-

arbitrantur, cum in corradendo auro Antistites nimis laborant, & qui eos ob auri copiam apud vulgus in invidiam adducunt, ac avaritiæ iniquissimâ suspicione gravatos acerbissimè traducunt. Quid enim? an illos, qui pingua victimarum præcipiebant, ut Domino offerrent, à pinguedine terræ, quæ aurum est, præcipiendâ arcebitus? Adeone, cum tota terra Domini sit, omniaque, quæ ejus ambitu continentur, ministros ejus ab aliquâ partis ejus possessione excludemus? Quare gaudete hoc vestro bono, ô Præsules, macti estote hoc præsidio, idque operam date, ita res vestras institute, ne vobis hæc auri prærogativa, quod vel ex ordinis prærogativa vobis debetur, (& quis Herculi clavam eriperet? ego vero ineptus sum, qui memores moneo) unquam è manibus extorqueatur.

Reliquum nunc est, Auditores, ut, cum de auri dignitate & excellentia plura quàm Majoragius ac fortasse vobis ante inaudita dixerimus, nunc ejusdem insistentes vestigiis, de insigni ejus potentia & utilitate (in quâ ille orationis parte amplissima spatia confecit) quædam illi indicta,

Indicta, nec vulgaria, in medium afferamus. Ac primum vos, tum sapientissimi Regis Salomonis, tum Siracidis iudicio pramonitos velim (libenter enim sacra oracula consulo) ne ab auri colligendi studio unquam desistatis. Nam de Salomonis (qui ipse magnam auri vim sive è maritimis commerciis, sive arcanâ quâdam scientiâ congescit, & illustri omnibus exemplo est) aureis dictis, ut multa in sententiam nostram adduci possint, nunc unicum id potissimum explicatiùs proponam, cum ad formicas homines ignavos, inertes, rerum suarum incuriosos, ablegat. Quid hoc ad aurum, dicetis, Auditores? Statim hoc faxo intelligatis. Formicarum varia esse genera forte audivistis, è quibus illæ cæteris præferendæ sunt, quas in India reperiri Herodotus & Strabo testantur: Nam & magnitudine & scientiâ minutulas istas, qui in pulvere suo de granulis sollicitæ sunt, longè antecedunt. Ac sane, cum de re aliquâ loquimur, ad ea, quæ in quoque genere optima sunt, respicere solemus. Illæ vero formicæ non grana & silvarum minutias, sed aurum, prudentissimo consilio colligunt,

adeoque, singulari naturæ instinctu, quid ex usu hominum sit, suo exemplo docent, merito, ut ego puto, à Salomone in exemplum nobis ponendæ. Et illæ quidem tantam auri copiam comportare solent, ut Indi singulari venationis genere illis infidias struant. Nam ternos camelos singuli jungunt, mares à lateribus, quos frenatos trahunt, feminam in medio, quam inscendunt, atque ita ad aurum tendunt, cum ferventissimus est æstus: siquidem tum formicæ sese occultant. Ubi ad locum venere, culeis, quos attulere, completis, occyffime fugam capesunt, tanta pernicitate, ut, nisi viam, ad quam formicæ congregantur, anticipent Indi, nemo eorum sit evasurus. Narratur & apud Suidam Atheniensium cum formicis, aurum custodientibus, de auro pugna, sed infeliciter tentata. Discamus ergo, Auditores, discamus vel à formicis, (si ipsi non sapimus) quomodo aurum non congeramus tantum, sed & pro illo servando omnibus viribus pugnemus, Cumque vel brutis animantibus ille sensus insit, ut auri fulgore capiantur, eò magis homines intelligentiâ præditi ejus amore incen-

incendi debemus. Nam & Siracides auro
& argento homines conservari sapientis-
sime judicavit. Quare, si salvos nos veli-
mus,

*Hoc opus hoc studium parvi properemus &
ampli,*

quomodo aurum, felicitatis nostræ Præsi-
dium, maturè colligamus. Sequamur
hoc Siracidis monitum, neque res nostras
tantum, sed & omnem Rempublicam hoc
fundamento subnixam credamus. Ner-
vus ejus aurum est, quo totum hoc cor-
pus regitur. Tolle è nobis nervos, neque
movebimur neque progrediemur, stupidi
& trunci; vexentur illi noxiis humori-
bus, sequentur paralyfes, vertigines, con-
vulsiones, non lateri bene, non ventri
erit, neque manus neque pes officium
faciet; sed omnia concident ac collaba-
scent. Aufer aurum è Republica, & pacis &
belli munia destituentur; nudabuntur
urbes præsidio, cathedræ doctoribus, tri-
bunalia iudicibus, cives excident com-
merciis, omnia affligentur, concutien-
tur, labefactabuntur. Quare optime intel-
lexerunt, quantum Reipublicæ momen-
tum in auro sit, Imperatores, qui Fortunæ

C s

au-

aureæ simulacrum in larariis suis colue-
runt. Ut enim Fortuna aurea fabri opus
fuit, ita aurum Fortunæ faber est, & priva-
tæ & publicæ, nec sine illo quicquam in
Republica expediri potest. Aurum est,
quod ipsis Imperatoribus imperat, quod
Terrarum Dominis dominatur, rectores
regit, Duces ducit, Leges rogat & abro-
gat, jura ponit, fœdera jungit, animos
componit & disjungit. Quæ quoties ego
attentius considero, toties Homericæ illa
fabula animo obversatur, quâ ille Deos
Deasque omnes unâ aureâ catenâ inter
cœlum terramque suspensos nobis depin-
git. Ad Tribunalia ventum est, illud co-
gitemus, poma esse aurea, quæ Eris, liti-
gantium Dea, spargit, rarò litigantium,
plerumque judicum & causidicorum,
bono, qui ex his pomis undique vel de-
tergent quid, vel abradent, vel exterebra-
bunt, vel tota, si possint, absument. Ipsa
quoque, quæ illis præsidet, Astræa vel i-
deo bilancem venientibus offert, ut au-
rum illi imponant, ad cuius gravitatem
illa causarum pondera examinentur. Cæ-
cam esse credo, quod, ut in veteri verbo
est, auri splendor strabones vel cæcos fa-
cit.

cit. Gladio vero illo pro auro suo tanquam pro aris & focis pugnat. His nunc moribus plerumque in republicâ vivi, his artibus omnia dirigi, quis adeo stupidus est, qui ignoret? Nam, qui est Platonis Republicâ nunc æstimârit homines, aut ex ejus ingenio refingi velit, ut imminutæ mentis homo rideretur. Quam enim bellum, quam lepidum hoc est, cum Plato, homo minime quidem malus, sed parum catus & sapiens, Magistratus suos omni auro & argento vult esse vacuos, atque adeo ab illorum attactu, ne contagione aliqua videlicet inficiantur, sibi cavere jubet; Et, quod magis ridiculum est, ne ex auro quidem & argento bibere, non tacto recipere, permittit. Quid ergo fiet miseris illis Ephoris? An illi, cum aliis jus dicunt, ipsi esurient? Nimirum poma illis est Tantali hortis apponit. Ait auro esse debere contentos, quod à Diis animis ipsorum infusum est, ne corruptibili illo auro & argento polluantur.

*DI Te, Plato magne, Deaque
Bellum ob consilium donent tonjore;
vel, si mavis, solstitio, ut copiosius ani-
mo tuo aurum infundatur. Nam quod
Tu*

Tu nobis aurum narras? illud scilicet, quo nemo unctiores caules habuit, nemo focos fulgidiores vidit: illud scilicet, quo Stoicorum schola superbit, qui solos se sapientes, Reges, nobiles, divites, esse gloriantur, etiam cum

Fundo nummus suspirat in imo.

Ad hanc Platoniam Rempublicam relegandus omnino esset, si nunc viveret, plenus ille raris Curius, qui raparum prandia Samnitum auro præferre veritus non est, quod tamen vel ab ipsis Regibus propemodum adoratur, ut illic in Idearum regno auro Platónico pascatur, id est, ferias esuriales celebret, & perpetuo raparum desiderio torqueatur. Nam cum vel pueri, quid æra lupinis distent, nōrint; illum, quid aurum rapis præstet, omnino ignorasse dicent. Sed hos homines tristi suæ sapientiæ relinqvamus. Vos vero, o Auditores, si sapitis, felices vocabitis, quos aureo ramo suo fatidica illa Sibylla beavit. Aureus ille ramus est, quo inferorum portas perumpimus, quo Cœlos adimus, quo per honorum subsellia circumducimur, quo animos nobis in amoribus conciliamus, quo familiarum fata firmamus,

mus, quo fortunas nostras certâ in sede collocamus: Nam, ut tota Respublica, ita singulorum domus auro fulciuntur. Uxores vobis jungetis? Primæ hîc auri partes sunt, primæ in procis, primæ in sponsis, primæ in maritis. Primum amoris condimentum aurum est: primum primæ noctis, raptæ virginitatis (nisi alius raptor antecesserit) præmium aurum est. Junonem, sive Pronubam, sive Cinxiam, sive Nixiam colatis, Monetæ quoque nomine appellari mementote; quam ne iratam habeatis, omni vobis studio laborandum est. Usque adeo falsus est Vates, cum dixit: *Sparge marite nuces*; aurum dicere debuisset. Non frustra Cupidinis tela aurea finxere Poëtæ. Visebatur apud Thespenses Amoris simulachrum, cujus alæ auro illitæ fuerunt, ut totum operis artificium illo auro obscuratum fuisse Julianus in oratione sua II. quærat. Sed ad amoris naturam sagacissimus ille artifex allusit, cujus nullæ essent alæ, nisi ab auro quasi acuerentur. Nam etsi per se tardigradum ac testudineum Aurum est, mirabili tamen virtute, ut negotiis omnibus, ita amor, alas suspendit, ut, quò irreperere

VIX

vix aures, aqvilino volatu expansisque a-
 lis in voles, omnibusque ventis secundis,
 omnibus velis & remis feraris. Hæc fi-
 gurato à me sermone dici vos opinamini;
 neque ego inficias i vero. Quid verò dice-
 tis, si reapse illam auro vim inesse proba-
 vero, ut & se aliaque sibi addita qua-
 si quibusdam alis extollat. Novam sci-
 licet volandi artem, per tot secula frustra
 tentatam, novo & inaudito auri magiste-
 rio docebimini, ut jam vobis non humi
 rependum sit amplius, sed sublimi ferire
 sidera vertice novi Bellerophontes quea-
 tis. Quæ Tu nobis somnia, quæ porten-
 ta narras, dicetis? Sed quæso vos obte-
 storque, Auditores, ut ad illa, quæ è Jovis
 diphtherâ mysteria nonnulli descripsere,
 animum advertatis. Aurum in cœlestem
 ac igni solari æmulam naturam summo
 artificio redactum eâ pollere virtute a-
 junt, ut perpetuo motu agatur, corpora-
 que sibi annexa pro ponderis ratione mo-
 veat atque impellat. Atque ut eò minus
 in dubium arcana illa ineffabilia vocetis,
 ea vobis in memoriam revocate, quæ de
 Abaridis Philosophi Scythæ sagitta au-
 reâ memoriæ prodita accepistis. Hanc il-
 le

le ab Apolline, vel, ut alii malunt, à Pythagora accepit, ea virtute præditam, ut cum ipse sagittam jacularetur, ille quasi sagittæ suæ appendix, quâ illa præiret, ferretur, omnesque quos vellet populos ales viator adiret. Quam ob causam *αἰθερῶν* ipse dictus est, & iis, quas peragravit, regionibus multa oracula fudit, variaque, quæ illis evererunt, prædixit. Hæc verò sagitta, si Hierophantis quibusdam credere fas est, eo ipso tempore, quo petasatus ille & alatus Mercurius arctissime Soli junctus fuit, sagittario ortum stringente, & Pegaso culminante, in Vulcaniâ officinâ fabricata fuit. Per me quidem cuivis ex ingenio suo narratis vel demere vel addere fidem licebit; neque enim cum quoquam ideò in arenam descendam. Id tamen credatis velim, multos vel hodie esse Equites tales auratos, qui orbem terrarum omniaque regna aureis sagittis circumvolitant, quibus omnia adyta perrumpunt, omnes scopos feriunt, omnia castella expugnant, cum nihil omnino sit, quod non sagittis aureis succumbat. Quis ergo Cupidini, Deorum potentissimo, aureas alas rectè additas, ut
in

in Thespiensi illo simulachro, negaverit?
 quem vel ipsum sagittis aureis mortali-
 um expugnare pectora Poëtæ prodide-
 runt. Nullum inexpugnabile mumi-
 mentum fore judicabat Philippus, quo
 asinus auro onustus possit penetrare: quæ
 non Veneris Castella expugnent Asini,
 toti, quanti quanti sunt, aurei? Si pecora
 vobis tondenda sunt, illas Ægonis oves,
 quæ vix ossibus hærent, mittite, sed ut au-
 reas Phryxi oves tondeatis, videte: aut, si
 capras insideritis, in illas ut incidatis vi-
 dete, quæ aureo illo Amaltheæ cornu in-
 signes sunt, unde tanquam inexhausto
 quodam penore omne frugum bonorum-
 que genus affatim atque ubertim suppul-
 lulet. Nam ut cornuum illud suspiciosum
 nomen vos Viros constantes ac fortes mi-
 nimeque supersticiosos terreat, ne qui-
 dem suspicabor. Vitam vero jucundissi-
 mam omni voluptatum genere affluentem
 transigetis, ubi semel vos ille fortunæ au-
 reæ rivus in auraverit, albæ scilicet Gallinæ,
 quæ ova aurea pariat, non filios, sed mari-
 tos. Mature quoque reti aureo plusquam
 Neroniano piscari discetis, probe ad artem
 Chrematisticam instructi, illam præci-
 pue

Ate : quin potius hortor & impello , o-
 mnem movete lapidem , ut nummos
 aureos in vitæ usum seponatis : qui to-
 ta oratione meâ nihil aliud ago , quam
 ut excitem dormientes , incitem cur-
 rentes, si qui sunt, qui hoc in negotio dor-
 miunt, nec potius, audito auri nomine
 talaria quærentes vel Dædaleo remigio
 vel Jovis quadrigis , omni accipitre Pe-
 gasoqve velociore, ad auream hanc me-
 tam contendunt. Sed unum est, à quo
 vos omni dehortari studio velim , quod
repetens iterumqve iterumqve monebo , ne
 in illum, qui huic aurum corradendi stu-
 dio comitari solet, morbum incida-
 tis, quem χρυσιασμόν Græci , auruginem
 Latini & morbum Regium , in aurei, ut
 puto, coloris honorem appellant : qui
 cum in corpus incidit, ita illud inficit,
 ut tota illa facies omniaqve membra au-
 ro illita esse videantur, & frequenti auri
 intuitu (quo & ipso auri vis firmatur) cu-
 rari solet : sed in animum admissus, in
 χρυσομανία cum maximo salutis nostræ
 periculo degenerat. *Dii talem terris a-*
vertite pestem! Aurum comportat, qui il-
 lo morbo correptus est, per varias artes,
 licitas, illicitas,

Ungue

*Ungve trahit, quodcunque potest, atque
addit acerbo,*

perpetuâ ejus fame vel potius *βελιμία* la-
borans. Non, ut sibi bene sit aut aliis;
non, ut cuticulam curet; non,
ut in magnificentiâ liberalitatisque
instrumenta convertat; sed ut solo auri
aspectu pascatur, & ad hoc metallum
damnatus, trabalibus quasi clavis affixus
sedeat, atque adeò totus illi incumbat.
Ideoque animo inter perpetuam cupidi-
nem & metum suspenso,

*Congestis undique saccis
Indormit inbians, Et tanquam parcere
sacris*

*Cogitur, Et pictis tanquã gaudere tabellis,
Exanimisque metu vigilat noctesque di-
esque.*

*Formidatque malos fures, incendia, servos,
Ne se compilent fugientes.*

Libenter enim recito illa Horatiana, tum
quod elegantissima sint, tum quod aliqua
huic malo medicina è lepidissimis ejus
Satyris peti possit. Quàm miserè cum
re sacrâ, quàm miserè cum re publicâ a-
gitur, si vel homines sacri ordinis, vel Rei-
publicæ administròs, furor ille invaserit;

A quorum ingenio nullum unquam flagitium aberit, nemini fidorum, cum in se ipsos sint injurii. Domi genium defraudabunt, foris populum; atrum panem ex hesterno jure stomacho latranti objicient,

*Vel cum farrat à fumosum sinciput ollâ,
Durum olus, aut fatuas, fabrorum prandia, betas:*

aut omnes illas artes exercebunt, quas venerabilis illa Societas, quæ à subula nomen habet (*la famosissima Compagnia della Lesina*) mirabili solertiâ extudit, ac veluti leges Candidatis suis (sordidatis debebam dicere, quia sordium disciplinam profitentur) præscripsit. Quæ in disciplinâ ita profecerunt nonnulli, ut insigni accessione augere ista amplissimorum Patrum istius Societatis Senatusconsulta & *Τεχνήματα* possint, vel ipsos Eucliones novas auri cumulandi artes docturi. Quamquam plerumque fieri solet, ut, quod hâc ratione corraferint aurum, Tolosano illi auro simile fiat, & ad alios, qui harum hominum insaniâ fruuntur, possessores perveniat. Vidi aliquando talium hominum ingenium lepidâ imagine in vicina

næ

na Civitatis curiâ depictum. Inter alia
vitia Avaritia sub Euclionis tenacissimi
Senis habitu delineabatur. Nummos
ille aureos, quâ fieri poterat, rapacitate,
uncis manibus, constipare in loculos ca-
pacissimos videbatur: qui tamen omnes
pertuso eorum fundo non advertenti ex-
cidebant. Cujus picturæ adspectu ita
animus meus delectabatur, ut in hos ver-
ficulos, quos vobiscum communicare
non gravabor, subito prorumperet:

*Non abes hinc technis armatus & ore pro-
tervo,*

*Euclio, cui nulla est frons, neque san-
cta fides.*

*In nummos hiat unca manus: nam colli-
git aurum*

Fœnore, perfidiâ, litibus, arte, dolis.

*Tu, quâquam populus te sibilat, ut tibi
plaudis!*

Cum malè congestas arca flagellat opes.

Sed fœdum est, digito monstrari & dici:

Hic est,

*Furis hic humani est institor atque sa-
cri.*

*Sæpeque ringentem loculis quæ mergitur
istis*

D 3

Posti-

*Postico fugiens praeda fefellit herum.
Non sibi grata legunt Hyblæa mellavolu-
cres,*

*Non, Harpyia sibi quod rapit, usque rapit.
Non dape furtivâ gaudebit corvus: ab-
escâ,*

*Quam petis, ipse malum Tu tibi,
Turde, cacas.*

Non malè pecuniam serpenti comparat ingeniosissimus Vates, quæ splendida imagine serpentis instar fallens, postquam crumenæ aut manuum calore incaluit, virus in animos hominum effundat. Cujus sententiam ut confirmem, aurum ipsum serpentem esse dico, ex argento scilicet vivo, omnium metallorum matre, natam. Ille ipse Mercurius, ut serpentum insignibus delectatur, ita serpens ipse est, qui terræ pulverem vorat, quo in aurum commutatur. Ejus contactu sublimes hominum animi ita deiciuntur, ut in serpentes degenerent, humique repere incipiant. Jam vero, ut in veteri Græcorum proverbio est: ὄφις ἀν μὴ φάγη ὄφιν, μὴ γεννήσεται δράκων. *Serpens nisi devoret serpentem, nunquam erit Draco: quot ergo serpentes ex illo genere*

nere

mere deglutiendos creditis, ut quis Draco fiat, qui thesauris suis incubare possit, & serpentis Epidaurii instar eos perpetuo custodiat & observet? Nam, quod cervæ solent, illos è cavernis suis serpentes aureos, ubi ubi illi delitescant, dulci eorum afflati odore, emunctæ scilicet naris homines, rapaci illo spiritu attractos devorabunt. Nemo tamen hæc à nobis in Auri contumeliam dicta existimet, sed in homines ineptos, bono auro malè utentes. Nam vel ex ipso auri abusu summa illa dignitas & potentia auri elucet, quæ tanta est, ut solo fulgore animos hominum fascinet, sibiqve totos subjiciat, & à desperatissimis morbis ad sanitatem pristinam, ac ab ipso Orci limine quasi in vitam reducat. Vidi ex illorum, quos modo nominavi, hominum genere aliquem periculoso morbo pene enectum, quem flosculi illi ex Hesperidum hortis, quas rosas nobiles vocare solemus, cum ipsi ostenderentur, mirifice rescillabant, ut animam illam nudulam, vagulam, blandulam, jam in procinctu stantem & fugituram in vitam revocarent. Non ignotam credo vobis esse historio-

Iam, quam Venusinus ille vates nobis me-
moriam prodidit. Affluebat auro & argen-
to Opimius, qui tamen

*Vejentanum festis notare diebus
Campanam solitus trullam, vappamque pro-
festis.*

*Quondam hic lethargo grandi est oppres-
sus, ut heres*

*Jam circum loculos & claves letus ovans-
que*

*Curreret. Hunc Medicus multum celer at-
que fidelis*

*Excitat hoc pacto: Mensam poni jubet,
atque*

*Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit: ad-
dit & illud:*

*Ni tua custodis, avidus jam hac auferet
heres.*

Agnoscite jam mirabilem auri efficaciam,
quæ omnium herbarum, verborum, lapi-
dum, virtutes supergrediatur. Quid fit?
Exiit bonus ille Opimius profundo illo
somnia, velut fulmine aut tonitru exci-
tatus, vigilesque in omnes partes oculos
circumferens: *Men?* inquit; *vivo, vivo,*
Corvos delusus hiantes, heredes scilicet
suos,

suos, qui jam spe bolum hunc devora-
verant, nisi stultus, particulæ alicujus de
auro amittendæ metu remedia negligens,
vitam volens projecisset. Cum enim Me-
dicus illum compellaret:

Deficient inopem vena te, ni cibus atque

Ingens accedat stomacho fultura ruenti:

*Quid cessas? agedum! sume hoc ptisanari-
um oriza;*

ille statim trepidus quærens:

Quanti empta? parvo. Quanti ergo? o-

Eo assibus;

hanc tandem in se decretoriam sententi-
am pronunciat:

Eheu!

*Quid refert, morbo, an furtis, perea-
mne rapinis?*

atque ita cum auri suavissimo nomine in
tenues auras spiritus ejus discescit, post
fata Draconis alicujus corpus ingressurus,
quo perpetuam thesauro suo custodiam
præstet. Huic historiæ adeo similem,
ut nec ovum ovo similis esse possit, Ja-
nus Nicius Erythræus consignavit, ubi
Hispani alicujus vitam & mores sub Eu-
clionis Jureconsulti nomine vivis colo-
ribus depingit, nisi quod in feliciorum

catastrophem fabula exiverit. Injuriam facere elegantissimi auctoris manibus viderer, si nitidissima ejus verba meis, χερύσεια χαλκείων, commutarem. Quare totam illam, ut calamo ejus expressa est, recitabo: Hispanus ille, (quem Euclionem Jurisconsultum vocat) Juvenis Romam se contulerat, ut ibi negotiaretur; hoc est, ut ex labore studioque, quod ad res aliorum conferret, rem suam strenue augetet. Itaque, ut mos est eorum hominum, statim Clerici vestem & ornatum accepit, coepitque nonnullorum sua nationis commissa sibi negotia studiose diligenterque peragere: verum, ex mercede, quam conseqvebatur, vix tantulum decerpebat, quod esset ad vitam parcè ac duriter agendam satis; sed quantum necessitatibus natura detrahebat, tantundem nummorum aceruo, quem cumulare instituerat, addebat. Qui aceruus cum jam satis ex sententia excrevisset statuit, advenisse tempus, quo liberalius sumtui genioque esset indulgendum. Itaque famuli unius famulaeque operas conduxit, & largius mensas coepit instruere; ita tamen, ut singulis diebus non amplius quam quinque obolis carnes, & binis olera ac poma, in cœnas prandia coëmen-

da

da mandaret. At cum saepe in potentiorum
 aedes se conferret, ut negotiis sibi commissis o-
 peram daret, furtim & tanquam per cunicu-
 los eius in animum irressit ambitio; quod
 videret, iis praeter ceteris honorem haberi, qui
 caudam traherent, quos vulgus Antistites
 vocat; statuit, parsimonia, cui tanquam
 uxori, quo nullum est aetius vinculum, here-
 bat, nunciium remittere, eamque sibi suas res
 habere jubere, ac novas cum ambitione affi-
 nitates societatesque contrahere. Itaque de-
 dit operam, ut ad eorum numerum adscribe-
 retur, quos aula Referendarios appellat, qui-
 que, nisi simul superioris alterius ordinis mu-
 nere fungantur, nigra tantum veste utuntur.
 Atque ut eum, quem inscenderat, honoris
 gradum pro dignitate tueretur, rhedam equos-
 que coëmit, circumpedes quatuor, qui se se-
 ctarentur, mercede condixit, ac varia veste
 ornavit. Usque illi sumtus visi sunt Euclio-
 ni neutiquam graves, donec, amicorum salu-
 tationibus & adulantium gratulationibus
 inflatus, intumuit. At postquam favor il-
 le, tanquam flatus, hominem defecit, quo ela-
 tus in altum fuerat, continuo, quasi de caelo
 delapsus, decidit, tanquam in lutum, in me-
 moriam sordium antiquarum, in quibus olim
 tetis

totis vestigiis hærebat. Itaque in otio, quò
 sua eum ambitio perduxisset, cum animo re-
 putans cogitansque, jam sibi hordeum, fa-
 num, avenam, quæ equos aleret, emendam,
 circumpedibus quatuor mercedem, cibum, ve-
 stemque præbendam, curandum, ut equi un-
 guibus ferro subactum haberent solum, laxio-
 res ades conducendas, sumtuosius mensam
 instruendam, aliaque ejusmodi, quæ omnibus
 fere horis crumena animam interciperent;
 hæc igitur sedulo in animo versans, eâ mole-
 stia affectus est, ut ex agitudine in morbum
 inciderit. Advocatur Medicus: accur-
 rit. At ille, qui naturam & consuetudi-
 nem hominis nosset, cui medicinam adhibere
 debebat, continuo, quo morbo laboraret, in-
 tellexit: Prasul, inquit, Reverendissime,
 gravis hic est morbus, ut video, qui te inva-
 sit; nec longius abes à periculo. quamobrem
 magnopere tibi laborandum est, ex eo ut
 convalescas. Ita est, ut loqueris, ait agro-
 tus; fer igitur opem: equidem angor, cruci-
 or, differor doloribus, partem mihi viscerum
 abripi sentio. Medicus, qui ex pulsu, carere
 eum febrî, non igncrabat, risum tenere vix
 poterat, atque: Bono, inquit, animo es; jam
 reperisse me arbitror, quod bonam hujus mor-
 bi

bi partem à te dejiciat. missos fac duos ex iis
famulis, quos circa te habes: postridie re-
vertar, ut videam, ecquid praesidii fuerit in
hoc pharmaco, quod tibi propino. Ille, cui
nihil tam erat cordi, quam sanitas, non pro-
crastinat, sed statim, ex Medici praescripto,
duorum hominum sumtu, hoc est, non mini-
ma se aegritudinis illius parte, levat. Rever-
titur medicus: rogat, ut valeat; ut medi-
camentum illud eum juverit, quod jusserit
sumere? Bene, respondet Euclio, sed non ta-
men se usquequaque ex sententia valere.
Uin tu, inquit Medicus, huic stulto ausculta-
re, neque Medico amplius egere? Loquere,
ait alle, audio lubens: nam nihil est, quod
magis misere cupiam. Igitur, subdit Medi-
cus, reliquos duos famulos domo; quantum
potes, abige & mutare coloniam jube; tum, au-
ditione facta, equos, rbedam & rbedarium
quoque ei, qui licitetur, addicito, atque ad
veterem vivendi rationem, multo hanc salu-
briorem, quasi postliminio revertere. At Euclio:
O Medicum singularem! exclamat, neque
jam cum Hippocrate & Galeno comparan-
dum, sed Aesculapio etiam ipsi & Apollini
anteferendum! ut ad intima ejus morbi pe-
netralia se intulit! ut rationem, quae illi occur-
ri

vi possit, invenit. Vix biduum intercessit ab hoc sermone, quem cum Medico habuit, cum rhedâ equisque divenditis, & rhedario ac circumpedibus, qui tantum illi morbi creaverant, in malam rem jussis abire, domum vacuum fecit, seque in perpetuum omni molestia dissolvit, atque octo illos annos, quibus deinceps vixit, ita sano fuit corpore, ut sua causa nullus Medicus, vel ramento saltem plumbeo, factus sit ditior.

Videtis, Auditores, quanta auri potentia sit in animis subjugandis; nam si viles & serviles illi sunt, despoticè illis imperat, ut vel in perpetuum carcerem serva illa pecora compingat: si voluptatibus ducuntur, effeminationes illas reddit, illamque Circes magiam æmulatur, quæ in asinos, porcos, canes, non fictâ, sed verâ μεταμορφώσας transmutat: ubi in regales animos incidit, regis fortunæ participes reddit, seque ipsis atque arbitrio eorum totum permittit. Ite nunc divitiarum contemptores, ite auri mastiges, & præfrictâ istâ fronte Auri summam potentiam negate, quod ad sanitatem sæpe reducit homines; quod ipsis sui stultis possessoribus sapientius, stultitiam illorum sæpe redar-

redarguit, cum vel modestiam & temperantiam animis ingenerat, vel pœnis corrigit, vel se ipsum abusibus hominum subducit. Ite nunc, qui figuris imaginibusque nullam esse efficaciam contenditis! nam plus illæ Imperatorum, Regum, Principum, imagines auro impressæ in animis hominum omnibus in negotiis operantur, quam ipsi illi Principes vivi, armati, loricati, galeati, cataphracti, omni suâ vi omnibusque machinis effecturi sint. Hæc sunt illa sigilla Magica, quæ amorem svadent, terrorem incutiunt, amicos alliciunt, hostes averunt, sua Rebuspublicis Palladia præstant. Nolo per omnes Hominum ordines orationem circumducere, quod magnâ eloquentiæ ubertate fecit Majoragi-
us: saltem pro nostri ordinis hominibus pauca loquar, quos ab auro facile superari posse ait Majoragi-
us, proposito eam in rem Alciati exemplo, qui eò vela det, quocunque auri flatus spiraverit. Itane vero Majoragi? Tua nunc ipse vineta cædes? Nam quod de Alciato dicis, ad omnes non pertinet: & Tu quidem parcius ista viris objicienda memineris,
quo-

quorum latera ille Astræ gladius defendit, nec deerit illis, quo causæ suæ patrocinentur. De cæteris ridiculum profesto est, auro superandos, quibus nemo catapultas & arietes aureos admoturus sit, & qui in felicitatis parte reputare possint, quod nulla, etiamsi maximè velint, auri per malas artes congerendi sibi occasio sit. Quare & de me ipso omnia honesta polliceor, & pro omnibus, quos subsellia illa occupare videtis, sponso-rem me interpono, qui, quantum ex vultibus illorum auguror, facilè me indemnem præstabunt. Illud tamem hic dissimulare nequeo, si viveret nunc Majoragius,

nostrum fato delatus in ævum,

novos illum mangones & Auri aucupes etiam in Musarum regno deprehensurum. Est enim Sophistarum genus, qui cum Græculis esurientibus omnia se scire jactant, in cælum ipsum, si aurum ostenderis, ituri. Hi omnes disciplinas & artes, quantum illarum est, quas vel nunquam vel malè didicerunt, ubi à regiâ
viâ

viâ prius juvenes abduxerint, ἐκ Διὸς
 δέλων se tradituros pollicentur, ut bre-
 vissimo tempore, tanquam aureâ Abari-
 dos sagittâ, per amplissima scientiarum
 spatia circumducantur. In temporis
 enim compendio omne lucrosæ artis
 præsidium est, ut breviori circuitu mes-
 ses illæ aureæ in orbem redeant. Sed
 longe illis stultiores juvenes ad obvolu-
 tum escâ hamum certatim accurrunt, &
 ab his Pantomimis decipi auroque suo
 emungi cupiunt, vel novo postea auro
 artem dediscendi redempturi, vel serâ
 ac inutili pœnitentiâ præcipitem stultiti-
 am luituri, aut si istis scopulis adhæse-
 rint, novo postea ignorantia præsidio
 Rempublicam beaturi. Verum hos cum
 Magistris Discipulos sibi sapere, vel, ut
 rectius dicam, delirare & libenter mise-
 ros esse jubeamus. Cæterum ab omni
 ævo duûm generum homines Eruditi fu-
 ere, quorum aliqui omnem suam, si
 quam habent, sapientiam in quæstum
 convertunt, institoribus in Republica Li-
 teraria non dissimiles, qui vel foro vel a-
 liis hominum necessitatibus operas suas
 addicunt. Plerique eorum intra illos

E

car-

carceres, quos rei familiaris amplifican-
 da & auri congerendi industria illis præ-
 scribit, subsistunt, neque mundi intel-
 ligibilis curas ad se pertinere arbitran-
 tur. Sunt alii, qui vel tenui vel medi-
 ocri stipendio, cui tamen multi etiam
 inuideant, conducti bonæ doctæque men-
 tis ornamenta unice sectantur, iis tene-
 ros juvenum animos imbuunt; vel ali-
 quid, quod ad posteros duret, cum va-
 letudinis rei que familiaris detrimento
 commentantur. Quantillum est, si cum
 cæterorum talentis contuleris, quod illi
 lucrantur, quibus liberi sæpe in spem e-
 suritionis educandi sunt. Fuere illa se-
 cula, cum Oratoribus talenta in merce-
 dem constituerentur; cum statuæ è so-
 lido auro ponerentur Gorgiæ Leontino;
 cum viginti talentis orationem unam
 venderet Isocrates; cum Sannazario pro
 sex versiculis sexies mille aurei darentur.
 Nunc miseri Poëtæ & Oratores, etsi to-
 ti aurei sint, aureaque carmina scribant,
 non nisi aurum Platicum & Poëti-
 cum pro præmio reportant, quod ne-
 scio quomodo volaticum est, neque ma-
 nibus palpatur, neque oculos, cum ne

ocu-

ocu
 Qua
 us lu
 Mag
 Cat
 infic
 mni
 sed
 ped
 sple
 radi
 tur
 veb
 mu
 ab
 cisc
 am
 cut
 ati
 sed
 que
 sce
 illi
 qu
 en
 po
 cti

oculis quidem appareat, implere potest. Quamquam & sæpe plumbeos, vel potius luteos, versiculos nummis aureis à Magnatibus honoratos viderim, quibus Catullus illud suum: *O seclum insipiens & inficetum!* merito acclamaret. Adeo omnis illa Poëtarum fortuna non aurea, sed vel plumbea, vel vitrea est, quæ vel pedibus conculcetur, vel inani fragilique splendore refulgens aureos illos Phœbi radios, ne in aurum densius constipentur, vel transmittat, vel reflectat. Vivebat superiori seculo, cum literæ primum è longo illo veterno excitarentur, ab Orco quasi in vitam revocatæ, Franciscus Philephus, Vir doctus, non exiguam è literis elegantioribus famam consecutus, ut & Equitis aurati & Poëtæ laureati titulos reportarit, non Martius tantum, sed & Pegasus Apollinis Eqves; quem equestribus titulis ornari, summum hodie scelus esset & immanis injuria. Sed bono illi Equiti tota pedestris fortuna fuit, & quæ præterea miserè claudicaret. Adeo enim auratus ille omni auro caruit, ut post obitum, nisi omni illâ tenui supellectile culinariâ prius venditâ, non esset,

quo terrâ conderetur. Quare ex isto celebratissimorum vatum numero suavissimus ille Joannes Secundus in illa Pecunia Regiâ, quam aliquando in somniis vidit, graphiceque descripsit Poëta ipse præstantissimus, unum tantum alterumque Vatem in isto comitatu vidit, sed qui, ut ait,

*longe prius abjecere Poëta
Squalem vafri faciem, crinesque tiarâ
Laurigeros vel Puniceo texere galero,
Mentitâque Deum taciti sub imagine sal-
lunt.*

Nihil ergo reliquum est, quam ut cum ipso in justissimas has querelas erumpamus:

*O Vatum Gens infelix, frustra que profani
Contemptrix populi, frustra nutrita sub
antris*

*Pieris, frustra choreis admissa Dearum,
Lucorum roseis in vallibus antiquorum,
Si vobis infesta manet Dea maxima, cuius
Concussus sceptro terra tremat orbis, & om-
nis*

*Regia turbata mugit procul Amphitri-
tes.*

Fugit nescio quomodo aurum Philoso-
pho

phorum & Poëtarum consortium, amplexibus se illorum subtrahit, quibus tamen nemo innocentius aurum tractat; fugit illud migratque illuc, unde negant redire quicquam, scilicet in Euclionum arcas, in Æruscatorum, in Piratarum & Nundinatorum forensium loculos. Nunc quoque ipso illo momento dulcissima illa AURI IMAGO, quæ totâ hâc oratione oculis animoque obversabatur, sive illam Majoragii mihi manes immiserint, sive alicunde è Civitate Solis ad nos advolarit,

*Prensantem nequicquam umbras & multa
volentem*

Dicere deseruit, tennesque recessit in auras,

*Par levibus ventis volucrique simillima
vento.*

Quandoquidem ergo omnes illi dicentis spiritus obtorpuere, quid nunc restat? quam ut omnem hunc de Auri laudibus sermonem abrumpam. Quod faciam, si prius Vos, Patres Civesque Academici, meâ, quæ ad exitum tendit, oratione compellavero. Vos quidem, Patres Conscripti, eo loco non estis, ut

montes aureos vel talenta cumulare qve-
 atis, sed mediocri fortuna contenti, Sa-
 pientiam, quâ divinam, quâ humanam,
 quæ omni auro potior est, profitemini.
 Hujus si mercedem dignam expectatis,
 fallimini; nam illa inestimabilis est:
 si laboris vestri solatium, habetis Princi-
 pis optimi liberalitate, quo vitæ necessi-
 tates sustentetis, & fuerint forte nonnulli,
 qui, si sibi regnum daretur, Vos illo,
 quod mentibus vestris insitum est, auro
 cum Platone contentos esse iusserint.
 Hos sibi sapere, sibi rapere permittite, de
 illorum vel aurugine vel ærugine securi.
 Sint multi, statuæ illi apud Daniele
 non absimiles, qui cœlo capita alta & au-
 rea ferentes, æraturum pectus habeant, fer-
 reos pedes, quibus omnia, luto volupta-
 tum immergi, conculcent. Sint læpe
 plumbei homines, plumbeis meritis, qui
 auro, qui beneficiis obruantur, vos in
 virtute vestrâ, in rectè factorum consci-
 entiâ, & in incorrupto orbis eruditi & po-
 sterorum iudicio confidite, qui bene me-
 ritis præmia, mortuis immortalitatem
 non denegabunt. Vos vero, ô Juve-
 nes, quorum animi in illa Promethei
 offi-

officinâ nunc primum excoqvuntur, videte, ne lingvâ tantum aurei sitis,

Introrsum turpes, speciosi pelle decora;

sed quomodo animos, quomodo mores aureos habeatis, discite, ut perfectam illam elementorum contemperationem, quam in auro prædicant Philosophi, exprimatis, ut nihil in vobis subæratum sit, ut denique totos vos aureos exhibeatis. Varia enim ingeniorum natura & indoles est: sunt ærea, ferrea, plumbea; sunt denique vitrea, quæ non nisi splendore & tinnitu, id est, inani famâ & loquacitate levibus ingeniis æstimantur. Vos vero, ut ad auri naturam accedatis, operam date, cujus vel ipsum Germanicum nomen nobis ad virtutis viam facem accendit. Ex illo si una absit liquida litera, bonitatem vobis illud, imo ipsum DEI nomen spectandum exhibet. Liquida vero litera, voci huic immerfa, charitatem illam in vobis excitabit, quâ aurum hoc in egenos diffluat, ut & coram hominibus lux illa aurea luceat, atque adeo ipsi Deo ad sacrificium præbeatur. Ipsa quoque auri natura & indoles aurem vobis pervellit: Cujus cum exigua

gua pars in amplissima spatia distenditur,
 vos, ut virtus vestra se totam ad alienas
 utilitates porrigat & explicet, admonere
 videtur. Quare ex Sanctissimi Salva-
 totis præcepto vel cum injusto Mammo-
 ne amicitia vobis contrahenda est, ut pio-
 rum hominum necessitates vestrarum o-
 pum ubertate fulciantur. Quod nisi
 feceritis, vereor, ne in illum locum per-
 veniatis, ubi auro illo potabili, quo Cras-
 sus à Parthis exceptus fuit, excipiamini,
 Quod si divini præcepti nostræque doctri-
 næ memores aliquam etiam auri partem
 in Dei gloriam erogabitis, in miseros fra-
 tres derivabitis; cœlestis illa Civitas, quæ
 tota auro strata, aureis mœnibus cineta,
 ædibus aureis exstructa, vos, hîc in terris
 justos auri possessores, illic perpe-
 tuos aureæ sedis inquilinos
 expectabit.

F I N I S.



M. ANTONII MAJORAGII
PHILOCHRYSUS
SIVE
DE LAUDIBUS AURI
ORATIO,

Quâ omnis generis hominum, præ-
cipuè Ecclesiasticorum, vitia falsè
traducuntur,

inter ἀνεκδοτα Autoris Mediolani
reperta, & Ultrajecti ANNO MD
LXVI primùm
edita,
nunc recusa,


cum Præfatione

DANIELIS GEORGI MORHOFL.



LUBECÆ.

Impensis PETRI BÖCKMANNI,
ANNO Christi M DC XC.



SU



com
opt
mo
dus
duc
ent
occ
soc
pra
pra
ho
un





SUIS IN ELOQVENTIA
AUDITORIBVS

S. P. D.

D. G. MORHOFIVS.



*V*am optimus dicendi magi-
ster Aristoteles enthymema-
tum doctrinam tradidit, eam
compendio quodam vobis, Auditores
optimi, me proposuisse meministis. Ne-
mo illi in hoc doctrinae genere praeferen-
dus est: neque alium sibi in hac via
ducem elegit Tullius, qui omnium sapi-
entum iudicio omne eloquentiae regnum
occupavit. Nam Aristotelicum & I-
socrateum aliquid, sprete vulgaribus
praecipitationibus, in Oratore suo se ex-
pressisse ipse gloriatur. Quare, qui
hos Duum viros, Aristotelem & Tulli-
um, illum in praecipitis, hunc in exem-

A 2

plis

plis & præceptis sibi non proponit, ne ille, quid sit eloquentia, omnino ignorat. Utriusque præcepta commentariis ita ornavit præstantissimus Vir, M. Antonius Majoragius, ut novâ perfudisse luce videatur. Quid enim ejus in libros Rhetoricorum Aristotelis, in Oratorem Tullii, commentariis plenius & perfectius? quid politius est? Quorum vix memoria hodie in Rhetorum Scholis superest, non fontes hos nitidissimos, sed putidas novorum hominum lacunas, consecrantium. Erat vero Majoragius acerrimo Vir & divino ingenio, non ad docendum tantum comparatus, sed & in dicendo ita promptus, ut suæ ætatis Oratores præcipuè τῶ ἐνθουσιαστικῶν superaret. Exstant præclara ingenii ejus monumenta & in brevi isto vitæ spatio (nam quadragesimum ætatis annum vix implevit) adeò numerosa, ut ipsum annorum numerum excedant, si in lucem edantur, quæ in docto-
rum

rum Virorum bibliothecis delitescunt. Pauca enim illa, quæ typis divulgata sunt, præter orationes nemini incognitas, vix ab oblivione vindicantur. Sed & orationibus ipsis desunt nonnulla, certo, ut autumo, consilio omiffa. In his est aurea planè de laudibus Auri oratio, quæ Philochryfus ab ipso inscribitur, adeò lepida, adeò salsa, ut nihil elegantius, nihil in hominum mores acrius, scribi posset. Sub auri enim laude ipsos Pontifices, purpuratos Patres & Religiosorum ordines, non obliquè tantum pungit, sed & stricto gladio aggreditur. Unde facile subolet, quâ de causa vel ab ipso Autore vel aliis suppressa sit, ne videlicet vel in molestias se conjicerent, vel perniciem capiti suo arcesserent. Hinc factum esse existimo, ut Catalogo operum Majoragianorum, qui commentario in libros Rhetoricorum Aristotelis præmittitur, in postrema editione expungeretur hæc oratio, cujus



tamen in Catalogo prioris editionis
 mentio facta fuerat. Eruit illam è
 schedis Autoris diligentissimus talium
 deliciarum indagator, ὁ ὡν ἐν ἀγίοις,
 Marquardus Gudius; Cujus è bi-
 bliothecâ illa Ultrajecti Anno MD
 CCLXVI prodit, istâ tamen exem-
 plum paucitate, ut frustra nunc
 in officinis quærantur. Quoniam ve-
 rò, ut in veteri verbo est, δὲ καὶ τοῖς
 τὰ καλὰ: ne miremini aurum, quod
 inter τὰ καλὰ principatum tenet, e-
 jusque laudes iterum à me produci. Il-
 lam ego orationem nostræ, ut puto, ata-
 ti nostrisque moribus convenientissi-
 mam, vestro, Auditores optimi, nomini
 inscribo, ut encomiasticæ orationis, in re
 omnium votis desideratâ, insignem hunc
 typum habeatis: cujus ego artificium
 lectionibus publicis ostendam. Quod
 cum facturum me promitto, neminem
 è vobis fore arbitror, qui non aureis
 illis promissis excitetur. Quis enim

non ad auri nomen aures arrigat Pam-
 philus? quas non sine causa paten-
 tissimas Mida affinxerunt Poëta, quod
 non solum auri tactu manus, ad spectu
 oculi, sed & aures suavi hoc nomine sa-
 turentur; aliquid certè auro affine,
 vel ipso vocis sono, acutioribus Gram-
 maticis habere videatur. Saltem im-
 bre verborum aureo auribus vestris in-
 fluet hæc oratio; cum ipsum aurum,
 simulac in manus deponitur, aut è lon-
 ginq̄uo ostenditur, mirificè animis homi-
 num irrepit, & omnium enthymema-
 tum fulmina & pondera fulgore suo an-
 tevertat. Nam si gemma & metalla
 quibusdam Naturæ consultis per solam
 irradiationem vim suam in corpora ex-
 ercere creduntur: cur non eandem
 auro in expugnandis animis vim inesse
 credamus, ut mirabili illa luce mentes
 nostras fascinet & constringat? Multa
 auro licent, in seculo præsertim hoc fer-
 reo, in quo & ferreæ frontes & arata

pectora aureis manibus facile succumbunt. Omnia enim ad se sacro quodam magnetismo rapit Aurum, ut nulli unci, nulli harpagones fortius trabant, & illa Jovis aureâ catenâ omnis Civitatis Sphæra convolvi videatur. Quare non sine causa in hymnis suis ἀπ' αὐτῶν νοίεσθαι αὐδῶν aurum vocavit Orpheus, & divinus ille Plato in animorum Fabricâ potiozem auro locum tribuit, ut vel ideò ob cognationem radiis auri mentes nostra quasi in occursum ferantur. Lux enim auro concreta esse videtur, quæ per hunc orbem atq; adeò mentes nostras radiis dispergitur. Sunt qui solis ipsum corpus, vel ex auro fuso vel nobiliore Chemicorum tincturâ, constare arbitrantur. Qui si aliquid è vero vident, ac calor Solis per orbem terrarum sparsus ad viscera etiam nostra penetrat; quis neget jam illius amorem ab ipsâ naturâ inspirari, & aurum jam non amplius per translationem

Sanguis

sanguinem mortalium, sed ipsum sanguinem verum aurum vocandum? cum & sanguis ab auri colore non multum discedat, sed purpurâ tinctura aurea emulâ ipsum aurum antecedit. Non dicam nunc de iis, qui omni aure inesse aurum nescio quibus argumentis persuadere laborant, ut jam minimè illa in aëre piscatio inter stulta opera referenda sit, nosq; cum aurâ vescimur, ut Poëta loqui solent, ipso vesci auro videamur. Sed nos ad Majoragium nostrum redimus, ne in messem ejus auream falces nostras mittamus, qui jure quodam suo aures nostras oculosque sibi postulat. Nusquam mihi elegantior ille, quam in laude Luti & Auri visus est. Illa inter editas ejus Orationes comparet: hæc à me nunc luci redditur. Ac sanè geminarum rerum laude quodammodo philosophari mihi visus est Noster, qui universam rerum naturam, quatenus mixtioni illa subjacet, à primis rudimentis

ad extremum ejus complementum complectitur. Nam & à congenerere sibi luto aurum in naturam illam compingitur, ut nos docent, qui arcana hac profundiore ingenio rimantur. Ille verò non in luto suo minus quam in auro aureus est. Quamquam erunt fortassis, qui auro, utut rudi, gravari, quam luto, utut erudito, conspergi malint. Sed tamen & hoc lutosi aurum habet, ut & os multis oblinat, & multorum animis luto ac pice ipsa tenacius adhaereat. Quod ne vobis contingat, etiam hac oratione cavebitur, quæ salibus suis & aqua quasi chrysulca facile, quæ adhaerint, sordes eluet, & innocentius vobis auri desiderium instillabit. Valete. Dab. è Museo meo sub finem feriarum Canicularium Anno CID IDC XC.

M. An.

M. ANTONII MAJORAGII
PHILOCHRYSUS, SIVE DE AURI
LAUDIBUS ORATIO,

SI quid unquam, Proceres, in dicendo amplissimum summaque attentione dignissimum vobis audiendum esse censuistis, nunc adeste animis & favete linguis, omnemque animi, si quam habetis, molestiam deponite, ut hanc, inauditam quidem antehac & inusitatam, sed ut spero jucundam, orationem meam audientes, mentes vestras mecum pariter exhilaretis. Non enim aut ex Philosophorum disputationibus res aliquas severas tetricas & horridas, quales post diuturnas animi trutationes pallescentes eructare Stoicos decet, aut ex jurisconsultorum litigiosis & controversiarum plenis commentariis, somnium aliquod vobis exponendum asserimus: sed ex omnium fere nobilissimorum ac vestri similium hominum opinione ac sententia depromptam orationem, quæ tanta nos oblectatione jucunditateque repleat, ut, quæcunque dixerò, plane aurea fuisse judicetis: Nam quo potissimum alio nomine, quæ mihi de auro dicenda sunt, significantius appellem, profecto non invenio. Jam video, Proceres, ex vobis plurimos ad auri nomen erectos & attentos, ad hilaritatem

tem vultu composito conticescere, & avide, si quid vobis aureum afferam, expectare. Verum ne fortasse spes, quæ plerosque mortales ludificari solet, vos etiam fallat, bene intelligite quid pollicear. non enim dixi me vobis huc aurum attulisse, sed ejus eximias ac prope divinas laudes velle commemorare. Quæ tametsi vobis ita notæ sint, ut nihil unquam melius edidicisse videamini, tamen, quia nunquam publicè (quod sciam) aurum fuit in concione laudatum, hac insolitâ dicendi ratione credo vos ita relaxaturos atque recreaturos animos vestros, ut nulla unquam vobis oratio suavior aut jucundior fuisse videatur. In qua primum illud à vobis, Proceres, deprecabor, ut, quoniam vos frequentissimos ad hanc concionem meam concurrisse video, nemo vestrum aut obstrepat, aut discedat, priusquam hujus institutæ orationis finem audierit. Non enim dubito, quin, si vestros animos diligenter adverteritis, non tantum quæ primo loco dixero, sed etiam quæ postremo, vobis & gratissima sint futura, & maxima vos admiratione repletura. Ac mihi quidem, cum ad auri præstantiam & amplitudinem mentem refero, parum abest quin hoc tantum oneris, quod suscepi pene viribus meis impar, veniat in mentem deponere: cum autem ad humanitatem & modestiam vestram oculorum aciem reflecto, quæ tanta est, ut, si quid etiam
for.

fortasse minus oratione dignum effudero, facile ignoscat, iterum me ipsum colligo, vobisqve me injurium esse judico, si tam dignam auribus vestris orationem, & rei tam præclaræ laudes, prætermittere animum induxerim. Sic enim existimare debetis, non me vobis rem aliquam cæteris similem, sed toto genere longè præstantem, exornandam huc attulisse, qua nulla unquam neqve major, neqve amplior, neqve magis ab omnibus omnium ordinum hominibus expetenda, fuerit. Quid enim auro præclarius? quid utilius? quid pulchrius? quid amabilius dici aut excogitari potest? Verùm, ut inde oratio mea profiscatur, unde principium aurum habuisse compertum est, de primâ ejus origine mihi primo dicendum esse existimo, quod dum facio, quæso vos, ut hætenus fecistis, diligenter attendite. Rerum omnium procreator atqve rector & gubernator Deus, cum divinæ mentis capacem hominem initio mundi fabricasset, ne sine duce, forte, passim, belluarum more vagaretur, & nullam cum genere suo societatem, nulla commercia, nullos contractus haberet, rem etiam multo divinior, quæ animum atqve mentem hominis regeret, & quocunqve opus esset impelleret, invenire voluit: Itaque ex purissimis aquæ, & terræ, parentis omnium, medullis, aurum fulgentissima atqve exoptatissima specie, sicuti nostis omnes, conformavit; Quod
quanto

quanto ex puriori atque nobiliori materia quam cætera conflatum est, tanto etiam reliquis omnibus, quæ procreata sunt, excellentius, ut paulo post intelligetis, atque divinius est. Videbat enim omnia prævidens atque præsentens Deus, nisi mortalium mentibus aurum tanquam aurigam dedisset, quod eas quasi freno cupiditatis coerceret, futurum, ut à recto tramite aberrantes, non aliter atque indomiti ac præferoces equi, non tantum in genus suum, sed etiam in auctorem & parentem inlurgerent: Quod quamvis ab immortali Deo tempestive provisum sit, terrigenas tamen Gigantes accepimus tam immane scelus tentare non exhorruisse, ut aurum, tam præclarum & tam admirabile Deorum munus, aspernati in ipsum Deum ferocitatem suam converterent, atque illum de Cælo atque de sede sua deturbare conarentur. Sed postquam divum pater atque hominum rex ob insanos illorum tumultus horrenda fulmina jaculari coactus est, tanto dignas scelere poenas pependerunt; Namque alius sub Inarime Campana, alius sub Ætna Siciliensi defossus jacet: Qui si auri nobilitate contenti novas res moliri non aggressi fuissent, illius ætatis aureæ, quæ paulo ante præcesserat, participes esse potuissent. Nam post aurum procreatum Deus Optimus Maximus humanum genus, quod ipse formarat, ab incommodis omnibus, quantum in se fuit, incolumem

col
aur
ma
bu
lud
mr
xiff
pri
spi
au
at
ter
re
qv
di
qv
da
ill
au
tiu
fu
qv
qv
de
n
ti

columne conservare voluit. Quam rem cum aurum facillime præstare posse intelligeret, maximam auri copiam illius ætatis hominibus liberalissimè concessit. Itaque felix illud atque beatum seculum, quod primum omnium à Deo conditum fuit, ab auro deduxisse nomen accepimus, ætatemque illam primam, singulare eximiaque felicitate conspicuam, id quod omnibus fere notum est, auream fuisse nuncupatam. Cujus quidem ætatis laudes cum omnem dicendi facultatem exuperent, & cum nemo ferè sit tam rerum ignarus, qui non earum partem aliquam vel ipse legerit, vel alios narrantes audiverit, non est animus studiosè persequi, quoniam ad ipsius auri laudes enumerandas mea festinat oratio, tametsi quicquid de illa felicissima ætate dici potest, id totum ad auri laudem pertinere videatur, cum totius ejus felicitatis atque beatitudinis aurum fuisse causam nemini dubium esse possit. Itaque facere non possum, quin aliqua saltem quasi per transennam ab aliis commemorata de illâ ætate recenseam: Sic enim Poëta noster ingeniosissimus in primo Transformationum libro de illa suaviter cecinit:

*Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte suâ sine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant, nec verba minantia fixo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.*

Et

Et quæ multa divinitus ab eodem Poëta sunt ibidem decantata. Sed forte melius Hesiodus, quem hic noster imitatus est: cuius verba libentissime recitarem, nisi scirem, multos ex vobis non libenter Græcari solere, nisi fortè in conviviis. Quamvis autem transmarinam illam Venerem Latinis auribus reddere difficile sit, tamen ut ab omnibus intelligatur Hesiodi sententia, dabo operam, Proceres, ut saltem crassius & clarius eam interpreter. Sic autem commodè reddi posse videtur:

*In primis genus humanum, cui nomen ab auro
Formarunt Divi cœlestia tecta colentes.*

*Quippe homines illi, Saturno rege, fuerunt
Ut divi, queis nulla animum mala cura premebat.*

*Non gravis ærumna, aut illos morosa senectus
Aut labor urgebat, similes plantæque manusque
Semper, & addebant alacri convivia mense.*

*Expertesque mali soliti decedere vita,
Ac velut à somno domiti illis optima quæque
Semper erant.*

Quantum igitur ætas illa aurea felicitatis habuerit, ex his versibus intelligere facile potestis, Proceres, cum audiatis ejus temporis homines toto vitæ suæ curriculo non ut nos in plurimis miseriis & calamitatibus, sed tanquam Deos immortales vitam omnem suam in summâ animi tranquillitate degere solitos, ac non solum nulla rerum necessariorum oppressos penuria, verum etiam in maximâ rerum

rerum omnium copiâ atqve abundantia fu-
 isse, nullam unquam curam, nullum laborem,
 nullas ærumnas, nullam deniqve senectutem,
 pertulisse : Quicquid gaudii lætitiæqve di-
 ci aut excogitari potest, illis semper adfuisse,
 & cum hac tam felici tamqve beatâ vitâ lon-
 go tempore floruisent, dulci tandem ac sva-
 vi somno domitos vitæ suæ diem solitos fu-
 isse claudere. Quid illâ felicitate beatius,
 quam nulla unquam tristitia diminuit? quid
 fortunatius, quam ne mortem quidem senti-
 re venientem, omnium ordinum mortalibus
 fato destinatam? O fortunatos nimium ho-
 mines, si bona sua cognovissent! Nam postea-
 quam auro non contenti, quasi majorem pos-
 sent efficere felicitatem suam, argentum &
 æs & ferrum effodere cœperunt, heu calami-
 tosam ac miseram sortem! ab illa tanta beati-
 tudine deciderunt. Itaqve propter insanos
 hominum conatus & insatiabilem cupidita-
 tem effectum est, ut ætatum & conditiones
 & nomina semper in pejus ruerent, ac retro
 sublapta referrentur: nam post illam prorsus
 felicem ac beatam, de qua diximus, auream
 ætatem, multo æstimatione & fortuna minor
 argentea, deinde hac etiam deterior ænea, po-
 stremo omnium pessima ferrea subsecuta
 est. Quæ quantis malorum fluctibus abun-
 det, cum omnes intelligatis, quid me opus
 est commemorare? Cum præsertim hanc
 orationem meam, ut initio pollicitus sum,

B

non

non tristem aut severam, sed amœnam ac
jucundam, esse velim. Sed cum hujus fer-
reæ ætatis homines maximas & gravissimas
longo tempore calamitates experti fuissent,
tandem errorem suum agnoscentes totis vi-
ribus in pristinam illam atque auream æta-
tem remigrare conati sunt. Hinc adeo
factum est, ut pueri, juvenesque, senesque, &
omnes denique cujuslibet ordinis homines,
omni studio, cura, diligentia, toto corpore,
atque omnibus (ut ajunt) unguiculis, quan-
tum possunt auri congerere studeant. Ex-
istimant enim futurum, ut, si labore atque in-
dustria sua maximam auri vim comparârint,
in pristinam illam ætatis aureæ beatitudinem
aliquando revertantur. Sed sero, dicitur,
Cumani sentiunt, & Phryges sapiunt. Rara
est enim eorum felicitas, qui sibi tantum auri
comparare possint, ut ad ejus ætatis condi-
tionem proxime videantur accedere. Sed
ut omnibus, qui præstantissimum hoc, sive
Deorum immortalium sive parentis omni-
um naturæ, munus omni studio sibi quæren-
dum esse arbitrantur, ostendam, quam divi-
nam, quamque rebus aliis omnibus antepo-
nendam, rem expetant, paulo diffusius auri
laudes explicare constitui. Nam optima qui-
dem res aqua est, sed aurum, ut splendidus
ignis nocturno tempore, magnificis longè
divitiis claritate præcellit. Hæc est sapien-
tissimi Poetæ Pindari divina lententia, qua
nobi-

nobilissimas illas cantiones tuas exordiri voluit, omnibus, ita me aurum bene amet, & muris & parietibus inscribenda. Quid enim auro divinius esse potest? Hoc vix dum nati pueri tractare gestiunt, hoc incipiunt adolescenterum admirari, hoc juvenes unum quam fieri potest avidissime congerunt. Ipsi vero longo rerum usu periti senes hujus studiosissimi sunt, & omni cura atque diligentia custodiunt; Hoc nunquam, nisi maxima coacti necessitate, manibus suis elabi sinunt. Ex quo profecto facillime intelligi potest, quanta sit auri præstantia: Cum seniores homines, qui longæ ætatis beneficio rerum ferè omnium naturam præclare intelligere potuerunt, hoc unum ex omnibus elegerint, quod ament, quod colant, quod observent, quod denique omni diligentia sibi custodiendum existiment. Quod cum faciunt, meo quidem iudicio, sibi ac rationibus suis optime consulunt. Nam quanto ad acquirendas opes ætas illa senilis infirmior est, tanto justius est, eos, qui senio confecti sunt, ad aurum conservandum ad usus vitæ necessarios majorem curam adhibere. Sed jam diligentius & accuratius de singularibus auri laudibus sigillatim edisseramus. Primum igitur mihi videtur de ejus nobilitate, deinde de potestate, tum de felicitate, quam affert hominibus, esse dicendum. Tanta est enim ejus nobilitas & excellentia, ut quædam mihi maxima dicendi

facultas, quæ solet iis adesse omnibus, qui in alicujus rei exornatione versantur, erepta esse videatur. Omnes enim qui rem aliquam egregiam laudare contendunt, unam aliam, aut parem aut non ita multo minorem, inveniunt, quam cum ea quam exornant conferentes ostendant, quanta sit inter eas differentia; Quæ certe rerum collatione maxime crescit & efflorescit oratio. Nam ut purpura, quod ajunt, juxta purpuram optime judicari solet, & ex unius purpuræ collatæ vitio virtus alterius clarius enitescit: sic in omnibus rebus ex similium comparatione, quid in aliqua potissimum excellat, facile dignoscitur. Sed quid ex omnibus ego, quod cum auro conferri possit, inveniam? Quid est, in omni rerum universitate, tam eximium, aut tam admirabile, quod, si cum auro comparetur, non statim vel deterrimum esse videatur? Ponite ante oculos ignem & aquam, quibus omnium animantium vita maxime continetur, quis non confestim judicet, aurum esse longe præstantius & excellentius? hæc tamen illa duo sunt elementa, quibus omnia, quæ vivunt, acceptam vitam referre debent; Quibus præter aurum nihil magis est necessarium. Unde quidam non incite vulgatum illud proverbium ita pronuciare solent: Aurum aqua & igne magis necessarium. Olim etiam exilio damnatis aqua & igni solitum interdici fuisse legimus, propterea quod his duobus ele-

elen
necce
sum
& ig
dius
G
C
Hor
nob
sum
etia
præ
ven
prio
à pl
latu
tis i
bet
guir
ven
rum
ni si
bus
ri;
Imp
ger
as
sun
Qv
cau
aur

elementis omnia putabant humanæ vitæ necessaria contineri. Nec injuria, nam ex summorum Philosophorum sententia ab aqua & igni cuncta procreantur, quod etiam Ovidius affirmat :

*Quippe ubi temperiem sumfere humorq; calorq;
Concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus*

Horum igitur elementorum alterum propter nobilitatem jam olim cœlo receptum est, summaque locum sibi legit in arce ; Unde etiam syderibus ac stellis universis lumen præstare creditur. At vero aurum supra Jovem etiam ipsum & omnes alios Deos jam pridem ascendisse manifestum est, quo fit, ut à plerisque mortalium pro summo Deo colatur. Aqua cæteris omnibus videtur elementis imperare, nam terras inundans eas absorbet, ignis impetum superfusa penitus extinguit ; Ipsum etiam cœlum atque aërem sibi vendicat. Sed illud multo mirabilius est, aurum omnia dignitate superare, omnia ditioni suæ subjugare, mortalium etiam mentibus, quibus nihil est in terris divinius, dominari ; Non privatos solum, sed etiam Reges, & Imperatores, & Pontifices suo arbitratu regere, & quocunque velit impellere, tristitias omnes è cordibus hominum eximere, summasque læticias secum semper apportare. Quid quod ipsum etiam cælum, ut non sine causa sapientissimi viri Poetæ scripserunt, aurum aliquando penetravit, & ibi omnia

B ;

suo

suo nomine decorata voluit aurea nunci-
 pari, quoniam nullum nobilius nomen in-
 veniebatur. Jovem autem in auri pluviam
 conversum cœlum ultro relinquere, in ter-
 ras descendere, turres irrumpere, in amicæ
 gremium fluere coëgit. Quid horum simi-
 le fecit unquam ignis aut aqua? Quid? An,
 quem admodum auro, sic aqua & igni pos-
 sunt omnia redimi? Qvis tam rerum igna-
 rus est, tam insipiens, tam stultus, qui poti-
 us aquam aut ignem quam aurum habere ve-
 lit? quis pro aqua & igni, sicuti pro auro,
 maxima quæque pericula adeat? quis non
 auri talentum malit, quam ignis quantum
 Empyreum cœlum continet, aut aquæ At-
 lanticum mare? Vincant igitur ignis & aqua
 nobilitate & virtute cætera omnia, dummo-
 do ab auro superentur. Nam quis ignorat,
 ab igni, qui cætera consumit omnia, ne mi-
 nimam quidem auri particulam perdomari
 posse? quanto enim magis igne torretur,
 tanto melius expurgatur, & magis eluce-
 scit. Merses illud idem aurum in aqua, multo
 pulchrius eveniet. Illud autem multo manife-
 stissimum & apertissimum est argumentum,
 aurum rerum omnium esse nobilissimum &
 præstantissimum, si quis enim affatim aurum
 possideat, quæcunq; alia voluerit, facillime sibi
 comparare poterit, at contrà, si quis cætera-
 rum omnium rerum copiis affluerit, non
 ita facilè magnam auri vim comparabit. Non
 est

est igitur
 comm
 imò
 posse
 las co
 quibu
 non e
 opino
 Diis p
 runt;
 vites
 strui
 nostr
 homi
 niqve
 interi
 lum
 O ni
 nes su
 ferro
 rò no
 quid
 enim
 tem
 fund
 teria
 ctos
 seat
 les a
 nere
 gios
 pon

estigitur quod diutius in collatione rerum commorer, cum nihil prorsus ex omnibus, imò neque omnia simul, auro conferri dignè posse videantur. Neque enim monstrosas illas contentiones mihi refellendas esse censeo, quibus inepti quidam & insulsi homines uti non erubuerunt, qui nescio qua, furoris ut opinor) obcæcati caligine, ferrum (si Diis placet) auro præponendum esse censuerunt; Cum dicerent, ferro terram exerceri, vites amputari, domos exædificari, construere Deorum immortalium templa, finibus nostris hostes arceri, securam per ferrum hominibus vitam præstari, & omnibus denique humanis usibus utile ferrum esse, Cum interim (si credendum eis est) aurum ad nullum horum idoneum aut aptum inveniatur. O nimium dignos homines, si tamen homines sunt, & non crassæ potius pecudes, qui ferro isto suo multum abundant, aurum verò non modò nunquam possideant, sed ne quidem quantum valeat agnoscant. Qvis enim agricolam quotidie terram exercentem, & ruri miseris modis habitum, domino fundi censeat esse præponendum? Qvis materiarios artifices & huiusmodi viles & abjectos homines Regibus & Imperatoribus censeat esse nobiliores, quod hi non sint ad serviles artes idonei, illi vero in hoc artium genere multo cæteris antecellant? Atqui prodigiosi isti Rhetores, cum ferrum auro præponunt, longe etiam absurdiorum collationem

nem faciunt. Qvis non intelligit omnium eorum, quæ ferrum efficit, aurum esse dominum? nonne, quicquid à ferro longissimo tempore fieri potest, si præsens aurum fuerit, temporis momento possidebit? quis adeo stupidus est, qui nesciat, quam pauco auro quanta ferri massa commutetur? Sed næ ego dementior, qui in tam apertis ineptiis refellendis tempus frustra conteram. Unum est (ut verum fatear) unum in omni rerum natura, quod auro præter cætera proximum esse videatur; Sed tamen longo proximum intervallo. Id autem argentum est, cuius maxima certe nobilitas est atque potentia, ut auri vices frequenter obeat, & ad se amandum complurimum mentes allicere soleat: Sed quanto satellitibus Rex, & militibus Imperator præstat, tanto profectò aurum argento nobilius est. Quod quidem vobis notius esse arbitror, quam ut sit argumentis explanandum. Quare si, quod secundum est, ab auro tantopere distat, quid illi conferendum inveniemus? Num virtutem? Num gloriam? Num famam? Num honorem? Quæ post argentum etiam relinquenda esse, nemo vestrum esse qui dubitet, existimo. Nam ut præclare scriptum est ab Horatio: Quærenda pecunia primum, virtus post nummos. Reliquum est, ut, quoniam nihil, huic tam admirabili & præstanti naturæ dono quod digne comparari possit, invenitur, illud

per

per se, quantum dicendo efficere possumus, exornemus: Quod omnes præter cætera omnia mirifice diligunt, & ardentissime concupiscunt: Cujus causa reliqua universa despiciuntur ac pro nihilo habentur: Quod ut acquirant homines, nulla prorsus pericula reformidant. Quid quod divinis atque humanis legibus, quicumque aliquid sapere videntur, antiquius habent? Quid quod ob aurum solum nostris temporibus in honore ac precio solent homines haberi? Hoc qui possident, soli nobiles appellantur. Age vero, quis non ejus rei miretur excellentiam, quâ si careant reges & princeps, jam non amplius reges & principes, sed mendici, esse videantur? Quæ si cui penitus ignoto & terræ (quod ajunt) filio copiose benigneque affluerit, illum ex humili atque abjecto confestim clarissimum & maximum principem efficere possit? Unde merito dignitatum atque amplitudinum omnium quasi formam & perfectionem quandam aurum appellare possumus: Nam, eo præsentem cuncta decus atque amplitudinem suam retinent, absente vero statim omnem honorem ac dignitatem amittunt. Jam vero non mediocriter illud etiam admirandum esse arbitror, quod simul atque natum & inventum fuit aurum, non solum omne genus humanum, sed etiam Deos omnes immortales, in sui amorem atque admirationem convertit. Itaque non satis sibi felices

B &

esse

esse Dei videbantur post repertum aurum, nisi eo affatim uterentur. Nam & ædes sibi sacras auro potissimum insigniri voluerunt, & vehementer sibi placent atque gloriantur, cum suas ex auro conformatas imagines & simulacra conspiciantur. Quid quod etiam in supremo Cœlo Deorum palatia sedesque omnes esse aureæ dicuntur? Quod Ovidius testatur, cum inquit:

*Regia solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro.*

Quod si quid etiam antiquitati credendum est, illa Græcorum ac Trojanorum tantopere celebrata pugna, quæ sempiternam Homericæ poësi gloriam comparavit, quæ post homines natos nihil unquam præclarius gestum fuisse legitur, non aliam ob causam, nisi propter auri nobilitatem, exorta est. Quis enim non vel legit vel audivit, inter illas tres Deas, Junonem, Palladem & Venerem, propter insigne quoddam aureum pomum, quod pulchriori debebatur, de pulchritudine natam esse contentionem? Cum enim immortales Deæ speciosissimam illam ac fulgentissimam aurei pomi faciem vidissent, ejus amore atque desiderio tantopere exarserunt, ut nihil non sibi faciendum esse censerent, quo voti compotes fierent. Itaque nudæ ante mortalem hominem consistere non erubuerunt, ut ille judicaret, quænam esset earum pulcherrima, cuique pomum illud adjudicandum esset.

Sed

Sed cum ille justissimo iudicio secundum
Venerem litem dedisset, raptâ postea Veneris
ope atque auxilio Helenâ bellum exortum
est: Cujusquidem rei si vera fama est, ne-
mini dubium esse potest, quin aurum nobili-
tate cæteris omnibus rebus antecellat, quod
etiam Deas, quibus nulla felicitas deest, ad se
amandum pellexerit. Sin autem incertum
hoc est, & ab antiquis auctoribus confictum, ta-
men etiam ob hoc ipsum auri nobilitas elucet.
Neque enim unquam homines sapientissimi,
nisi de re omnium pretiosissima atque opti-
ma, Deas inter se contendisse tradidissent. Sed
quid ego pluribus verbis auri nobilitatem
persequor? Cum uno tanto argumento quan-
ta sit ostendere facillime possim. Aurum e-
nim nobilitate sua non tantum reliquis rebus
omnibus, sed etiam Deis ipsis, quibus nihil
est excellentius, antecellit. Quid obstupuistis,
Proceres, & vestros in rugam vultus contra-
xistis? An hoc vobis fortasse videtur incredi-
bile? Quid si vobis testibus ita esse convi-
cero? Negatis? At jam faciam, ut aperte fa-
teamini. Primum illud mihi vobiscum arbi-
tror convenire, Deos omnium esse nobilissi-
mos. Si quid igitur invenire poterimus, quod
à se ducto nomine totam Deorum immorta-
lium nobilitatem repræsentare possit &
æquiparare, nonne illud etiam Diis ipsis nobi-
lius esse judicabitis? Video mihi Vos omnes
annuisse. Agite ergo, Proceres, attentis ani-
mis

mis hæc verba mea percipite, vos enim hodie
 maxima sollicitudine liberaturus sum, quæ
 vestros animos, ut ego quidem sentio, conti-
 nenter & magnopere conturbat. Quamvis
 enim aurum, sicuti dignum est, plus quam
 Deos ipsos à vobis amari certo sciam, tamen
 neque illud ignoro, superstitioso quodam ti-
 more vos continenter premi, qui Deos auro
 putetis antecellere. Verum, quantum ista
 vos opinio fallat, audite. Hoc nomen aureus,
 quod ab auro deducitur, cum Deis adjungitur,
 annon omnem vobis Deorum nobilitatem
 exprimere videtur? Annon, quotiescunque
 Deos aureos appellamus, aurum Deis excel-
 lentius esse judicamus? Quid excogitare
 præstantius aut magnificentius auctores re-
 rum possunt? Qui, cum Deum aliquem vehe-
 mentissime laudare atque exornare conten-
 dunt, non eum alio nomine quam aureum ap-
 pellare consueverunt. Ita sol aureus dicitur
 à Virgilio, & Venus aurea, & reliqui Dei pas-
 sim aurei nuncupantur. An vero ignoratis,
 Proceres, eam esse laudationis legem, ut ali-
 quid potius laudibus affingatur, quam eis
 quicquam detrahatur? Nam quid esset absur-
 dius, quam si, cum aliquid nos laudare velle
 profitemur, ejus deinde laudes dicendo mi-
 nuamus? Quare perspicuum est, nos, cum
 Deos aureos nominamus, aurum Deis ipsis
 esse nobilius affirmare. Quid in cæteris omni-
 bus rebus? Nonne, cum aliquid maxime pre-
 cio-

ciosum ac pulchrum significare volumus, illud statim aureum appellamus? Non est igitur quod amplius quisquam de auri præstantia dubitare possit, cum jam aperte docuerimus, nihil usquam tam pretiosum inveniri, quod auro comparari dignum esse videatur, sed rebus omnibus tam divinis quam humanis aurum antecellere, ab omnibus ardentissime diligere, à Deis etiam vehementer amari, denique longe Deis ipsis nobiliter ac præstantius esse. Dixi de auri nobilitate, nunc de ejus potestate pauca dicam. Neque enim minori potestate quam nobilitate præditum est; Sed tam potens atque imperiosum est, ut omnia, quæ in terris, quæ in mari, quæ in cælo nascuntur, ditioni suæ facile subjiciat. Quis enim non videt, nihil tam firmum ac munitum esse, quod aurum non facillimè possit expugnare? Quis ignorat, auri potestati non modo frumenta, vina, commeatus omnes, prædia, possessiones, villas, sed etiam civitates, atque homines ipsos esse subjectos? Quis non intelligit, aurum quovis fulmine potentius munitissima castella subvertere saxa percurrere, firmissimas urbes dissipare, hostes aut opprimere, aut totis finibus exterminare? Quid quod etiam animos hominum, quibus nihil fortius aut sagacius est, ita suo arbitrio versat, ut omnibus in rebus suæ subjiciat potestati? Sed de illis, qui aliquid sapiunt, dicam alio loco, Proceres, & ita dicam, ut nihil unquam vos libentius aut gratius audivisse judicetis. Nunc
illud

illud videre operæ precium est, quam in multis
modis animum quorundam sui cupidorum,
& uti nescientium, quasi ludens aurum affi-
ciat; Qui posteaquam magnam ejus copi-
am per fas atque nefas in arca congesserint,
nullam deinde temporis particulam conqui-
escere possunt, sed dies atque noctes amitten-
di metu cruciantur; Quorum vitæ clarum
exemplar in Euclyone sene facetissimus Poëta
Plautus nobis expressum reliquit. Hi tritis ve-
stibus, & terque quaterque sartis calceis, in
publicum prodire non verentur, cibarium
tantum panem, aut si quem etiam vilio-
rem cibum reperiunt, gustari contenti sunt. Si
quid forte paulo largius aut lautius in hospi-
tis alicujus adventu consumpserint, illud ine-
dia postea resarcire student. Liberis suis
omni studio sordes conantur easdem inspi-
rare, suam verò frequentius arcam solliciti
revisunt, atque in ea sepultos una cum toto
corde nummos, quemadmodum Tantalus
poma, mirantur & abstinent. Solo auri con-
spectu, non aliter atque picturam intuentes,
oblectantur, neque ullum eis penitus usum
tanta auri congesta copia præstat. Interim
tamen, dolis, astutiis, fraude, calliditate, per-
juriis, socios atque amicos auri congerendi
causa circumvenire student, denique non fa-
mem, non sitim, non frigus, non calorem sub-
terfugiunt, modo aliquid auri corradere
alicunde possint, quo tamen nullo unquam
tempo-

tempore perfruantur. Hos equidem homines, etiam ab ipso auro (si quis ei sensus inest) vehementer irrideri & contemni arbitror: Cum enim alios omnes adventu suo beatissimos ac felicissimos efficiat, hos omnium solos non modo non felices, sed etiam miserrimos reddit. Sed ad rem nostram redeamus, & exemplis omni luce clarioribus auri summam esse potestatem ostendamus. Qvis igitur tam incredulus esse potest, qui divinis literis & sententiis fidem non adhibeat vel maximam? Certe & si qui tam impudentes inveniuntur, qui sacris libris non credere audeant, vobis tamen maxime providendum est, Proceres, ne, si à vita atque institutis majorum nostrorum & à Pontificia credulitate religioneque discesseritis, factiosi atque hæretici videamini. Sed si bene vos novi, huic uni Sacrarum literarum testimonio, quod producturus sum, facilius crederis, quam reliquis omnibus, quæcumque & in antiquis & in novis legibus nostris scripta sunt. Sic enim etiam sapientissimi viri, Sacerdotes, Monachi, Cardinales, Episcopi, Pontifices, omnes denique religiosi faciunt, nec injuria, cum nullis firmioribus aut certioribus exemplis, nec ulla majori auctoritate, potestas auri demonstrari possit, quam Sacræ scripturæ testimonio, cui non credere maximum est & scelus & dementia. Legite ergo decimum Ecclesiastæ caput, ibi hanc vere auream senten-

sententiam invenietis : Pecuniæ obediunt omnia. Quod exemplum clarius, aut quod apertius testimonium, dici vel excogitari potest? Sic enim colligite mecum Proceres: Aurum (ut omnes intelligunt) pecuniarum omnium principatum & quasi Regium dominatum obtinet. Pecuniis autem omnia (quod nos sacræ literæ docent) obediunt. Ergo non solum universa reliqua, sed etiam ipsas omnes pecunias, auro parere atque obedire necesse est. O patrone mi, aurum, here mi, domine mi. Jam me non pudet tui amatorem dici, & servum esse fidelissimum, cum te tam potens & amplum esse videam. Jam tibi perpetuo servire gestio, cum tibi serviant universa. Tua tanta vis ac potestas est, ut non tantum terras & cœlestem regionem tibi omnem subjicias, sed etiam adamantinas inferorum portas penetres. Quod bene Græcus quidam Poëta, nostri ordinis homo non infimus, animadvertit, cum jambicum illum scriberet :

Χρῦσος δ' ἀνοίγει πάντα κ' αἶδ' ἀπὸ πύλας.

Hoc etiam Poëtarum Principem Virgilium haud dubie cognovisse crediderim, qui cum secum ipse diutius magnam auri potestatem esset admiratus, quod scelestissimum illum Jovis hospitalis violatorem Polymnestorem tam aperte prodidisset, tandem quasi lætaturus exclamare non dubitavit: Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Sed

proh

proh cœcas ac temerarias hominum mentes!
 Imperiti quidam nimisque audaces literato-
 res divinam hanc summi Poëtæ sententiam
 suis commentationibus invertere ac deturpa-
 re ausi sunt; Cum enim sacram auri fa-
 mem Poëta noster dixisset, dementes isti
 Grammatistæ, pudet etiam me tam insignes
 eorum ineptias referre, detestabilem & ex-
 ecrandam interpretati sunt. O facinus in-
 sapiens & animadvertendum! An etiam, cum
 sacros Deos appellamus, audebitis homi-
 nes infantissimi stultissimiqve detestabiles
 interpretari? Sed valeant istæ falsæ commen-
 tationes vestræ: Nos ex ipsius Poëtæ factis
 sententiam hanc aperiamus. An, qui pro-
 pter solam auri famem atqve cupiditatem pa-
 triam suam (quod omnes sciunt & ipsemet
 confessus est,) relinquere non dubitavit,
 eam deinde, postquam voti compos effe-
 ctus est, detestabilem ausus fuisset appella-
 re? Minime, minime, inquam; Sacram id
 est Sacro sanctam intelligendum est. An, si
 damnanda esset auri fames & sitis & cupi-
 ditas Pontifices nostri, viri omnium sapien-
 tissimi sanctissimiqve, petasati Patres,
 quos Cardinales vocant, Episcopi, Sacer-
 dotes, Monachi, Bardocucullati, deniqve
 religiosorum omne genus, aurum tanto pe-
 re desiderarent? Non eo dementiæ perven-
 turum quemquam existimo, ut aurum con-
 demnare aut aspernari velit, cum summos
 nostræ

nostræ religionis Antistites, atque adeo Monarchas, nihil non auri comparandi gratia moliri videat. Nuper enim quendam amicum meum summa auctoritate, fide, religione virum conveni, qui pridie ejus diei Roma venerat, quæ civitas propter auri cultum atque venerationem & alias semper, & hoc maxime tempore, omnium sapientissima religiosissimaque judicatur; Ubi (quod equidem vehementissime laudo) quæ plurimos nostri ordinis summos auri cultores comperisse se dicebat, qui propter auri desiderium ac amorem, plurima patrare non dubitant eorum, quæ istis fortasse fatuis & superstitiosis hominibus scelestæ esse videantur. Sed propter rei tam pretiosæ tanque potentis acquisitionem nihil cuiquam scelestum aut turpe videri debet, cum præsertim aurum ejus esse naturæ perspicuum sit, ut, cum semel ad sese hominis animum atque mentem allegerit, tanquam optimus Imperator eam postea regat, atque ita volentem & cupientem imperio suo objiciat, ut nihil aliud quam de se cogitare sinat, nullum rivalem patiatur, reliquarum rerum omnium amorem depellat. Itaque fit, ut auri pulchritudine mens allecta plurimum illi honoris tribuat, eo mirifice delectetur, illi cætera omnia postponat. Quod cum Propertius elegans Poëta cognovisset, auri nomine nescio qua cum animi dulcedine delinitus, quinque illud appellans, ita proclamare non dubitavit:

Plurimus

Plurimus auro

*Venit honos, auro conciliatur amor,
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Vult igitur aurum se solum imperare, dominari, reliqua omnia, quamvis eximia, ut virtutem, honorem, gloriam, ditioni suæ subjici. Quod mihi quidem justissimum esse videtur. Illud enim verissimum est quod Poetarum pater atque Princeps Homerus sapientissime scriptum reliquit:

Οὐκ ἄγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς Κόιραν ὄρω
Εἰς βασιλεύς.

Quibus miseris humana mens affligeretur, si duobus aut pluribus dominis servire cogatur? Nunc, quæ uni servit auro, creditur esse „beatissima. Quare, quod paulo ante dicere cœperam, in florentissima sapientissimaque civitate Romana, quæ quondam imperium orbis terrarum longe lateque tenuisse dicitur, quo tempore ditior etiam auri fuerat, quam nunc est, licet ejus nunquam fuerit amantior, vix unum aut alterum invenietis, qui non omnibus nervis auro servire contendat: Summos enim „habent duces, quos imitentur ac sequantur. „Nam nostra tempestate sacrorum principes, „quas balbutientium puerorum imitatione „Pappas appellamus, cum illius ætatis aureæ sanctissimos mores & religionem perlegunt, adeo sanctitatis ac religionis ardo-

C a

re

„re succenduntur, ut, si liceat ea secula re-
 „vocare, vehementissime concupiscant, &
 „pro virili parte nitantur, ut saltem domus
 „sua suorumque cognatorum, affinium, ne-
 „cessariorum, auri copia fiat aurea. Quam-
 „obrem totos se immergunt auro, quicquid
 „dies noctesque cogitant, id totum aurum
 „est, huic uni student, in hoc vigilant,
 „ad hoc omnibus viribus incumbunt.
 „Quod si fortasse Bacchus lætitiæ dator
 „eam optionem, quam olim Mydæ Phrygum
 „regi dicitur obtulisse, Pappis nostris liberam
 „concederet, illud sine dubitatione sum-
 „ma cum alacritate protinus exclama-
 „rent:

„ *Effice, quicquid*
 „ *Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.*
 „Et prius (ut existimo) fame tabescerent,
 „quam conditionem hanc peterent immuta-
 „ri: Tanta est auri virtus & potestas. Quod
 „si forte, Proceres, Papparum cubilia, cœna-
 „tiones, atria, porticus, vestibula, totam deni-
 „que regiam videretis, tum credo lætitia vo-
 „bis cor ipsum exultaret; Nihil non auro po-
 „litum, nihil non magnificentum. Quid quod
 „etiam mulas auro stratas videmus? Perinde
 „quasi pecudes etiam ipsæ præstantiam auri
 „sentiant. Sed, quibus tandem artibus hoc
 „tantum auri sibi comparent, vobis jucun-
 „dissimum esset audire, Proceres, namque
 „inde magis etiam auri potentiam agnosce-
 „retis,

retis, cum videretis illos ab auro regi, quibus
omnia divina atque humana regenda tradita
sunt : Sed hæc quoniam non admodum ad
rem nostram faciunt, ab aliis malo quam
à me cognoscatis. Habent quidem Christum
in ore frequentissime, qui se auro quodam-
modo contrarium & paupertatis ducem ac
exemplar præbuit, quem si sequerentur,
eos in ordinem nostrum admittere non pos-
semus, sed viri sapientissimi memoria te-
nent, ipsum etiam Christum pecunia pro-
ditum fuisse, quod sibi ne accidat, magno-
pere pertimescunt. Itaque maximos auri
cumulos undique congerere student, ut, si
forte contigerit, eos ab aliquo satellitum
suorum prodi, possint auro se quam citissime
redimere. Si quis autem roget, ubi fidem
habeant, quam læcrae humanæ literæ tanto-
pere commendant, ut per eam solam nos
affirment cœlestem illam ac beatorum se-
dem facile consequi posse, illud egregium
Satyrici Poëtæ dictum respondebunt :

Quantum quisque sua nummorum servat in arca
Tantum habet & fidei.

An vobis in hoc damnandi esse videntur?
Non opinor, etiamsi quibusdam in cogen-
do auro paulo cupidiores quam æquum sit
esse videantur. Nam & pietatis & Chri-
stianæ religionis sæpissime obliviscuntur, &
relicta sacrorum administratione bella susci-
piunt. Sed omnino mendose reprehendun-
tur,

"tur, nam justissima tantum bella gerere so-
 "lent; Nempe contra illos, qui decimas &
 "primitias, quibus sancta sustinetur ecclesia,
 "persolvere nolunt. Hoc patres sanctissi-
 "mos, maximeque venerabiles, quibus divino
 "jure primitiæ debentur, non sine summa
 "ratione commoveret, neque enim aliter vi-
 "tam ducere possent. Nam verissimum il-
 "lud est, quod ait Hesiodus:

"χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι
 " *Humano generi namque ipsa pecunia vita est.*

"Quamobrem etiam inviti bellare com-
 "pelluntur, ut sacrilegæ nationes, quæ deci-
 "mas non solventes illis vitam eripiunt, fun-
 "ditus evertantur. Illud fortasse requiretis,
 "quomodo nullis armis, nisi divinis officiis,
 "exerciti Pappæ præliari possent. Cogno-
 "scite, Proceres, non enim sine causa quæritis,
 "Nam non ipsi prælia gerunt, sed ipsorum
 "aurum; Cujus in armis etiam, sicut in re-
 "liquis rebus omnibus, summa potestas est.
 "Jam vero, quemadmodum sumæ res admi-
 "nistrentur, si diligenter cogitare volueritis,
 "credo vos facile perspecturos, auri vim esse
 "maximam: Nam in arce religionis auro
 "reguntur universa, nihil ibi speretis, nisi ma-
 "nibus auro gravissimis. Omnia Romæ cum
 "precio. Qui plurimum auri secum attulerit,
 "is securus esto, se, quicquid optaverit, facile
 "consecuturum. Quod ut facilius credatis,
 "audite, quid eleganti carmine Petronius ce-
 "cinerit:

Quis

*Quisquis habet nummos, securamaviget aura,
Fortunamq; suo temperet arbitrio.*

*Multa loquor, quidvis nummis presentibus opta,
Et veniet, clausum possidet arca Jovem.*

Veniat ergo Romam, vel quo magis ei li-
buerit, bene nummatus, confestim ei regia
valvæ recludentur, eum omnes alacri vultu
venientem excipient, ei gratiam & favorem
suum omnes & pollicebuntur & præsta-
bunt, brevi tempore dignitates amplissi-
mas, opima Sacerdotia, consequetur, pluri-
mum auctoritatis & potestatis habebit. Nec
interim, quoniam sit ille, quem omnes tanto-
pere suspiciunt, quisquam sibi exquirendum
esse cogitabit, summo loco natus an terræ
filius, probatis moribus an profligatis, do-
ctrina præditus an à Musis averlus. Hæc
jam nihil ad rem facere prorsus existiman-
tur; Aurum est, quod omnia regit, omnia
dispensat, omnia transigit, omnia compo-
nit: Illud vero quamvis fortasse vobis ri-
diculum esse videbitur, tamen à me in di-
cendo prætereundum esse non arbitror,
quod aurum tanquam Prometheus quispi-
am imminutas corporis partes restituit. Si
quis enim aut altero captus oculo, aut clau-
dus, aut testibus carens, aut quovis alio mem-
bro spoliatus, ad sacerdotii dignitatem aspi-
rarit, quamvis per jus pontificium tales
non liceat in sacerdotum numerum aggrega-
gari, præsens tamen aurum facile jus ponti-
fici-

"ficium frangit, & membra supplet mutilata.
 "Sed fingite nunc aliquem singulari eximia-
 "que virtute præditum, & expolitum omni
 "doctrina virum, qui sacerdos fieri velit, &
 "ei desit alter tantum testium, si aurum illi
 "defuerit, sit Numa licet ille religiosior, Ari-
 "stide justior, Aristotele doctior, domum
 "sine sacerdotio redibit. Sed hoc (ut dixi)
 "ridiculum; illud vero multo omnium gra-
 "vissimum & præstantissimum, quod etiam
 "sub terras ad eas animas, quæ torquentur in
 "tartaris, à Principibus in religione viris
 "compertum est aurum potestatem suam
 "transmittere, quæ statim eas inde liberet, &
 "ad superos recta perducatur. Nec illa parva
 "auri potestas est, quæ consceleratum quem-
 "vis hominem ab omni supplicio poenæque
 "liberare facile potest, modo manibus auri
 "plenis diploma plumbatum impetravit.
 "Quid quod aurum in annorum multa mil-
 "lia peccandi sine poenæ timore indulgenti-
 "am facile, cum voluerit, obtinet? Nam præ-
 "terita scelera non tantum aurum, sed etiam
 "argentum modicum, duabus aut tribus in-
 "dulgentiæ bullis coemptis, delere facillime
 "potest. Verum hæc fortasse silentio præstat
 "involvere, ne quis fatuus aut ineptus, quæ
 "nos in auri laudem dicimus, in Papparum
 "contumeliam dicta judicet. Ad alias po-
 "tius religiosissimas personas, in quibus au-
 "rum jam imperium suum confirmavit,
 trans-

transeamus Tanta est enim auri vis & po-
 testas, ut, quos ecclesiae cardines appella-
 mus, eos labefactatos à propria sede dimo-
 verit, & imperio suo subjugarit. Qui certe
 nunc multo melius & stabilius totam reli-
 gionis machinam sustinebunt, postquam
 auro fundati sunt. Nam quomodo quæso
 religionem sustinere possent, si præ pauper-
 tate se ipsos sustinere non possent? Illud
 nimirum nunc operæ precium siveque
 est contemplari, cum sublimes per urbem
 stratis auro mulabus provehuntur, rubra
 causiâ conspicui, quam certe fulvam melius
 effinxissent, ut esset insigne domini sui auri;
 Satellitibus undique stipati, ut ipsis etiam
 regibus invidiam movere possint, tremen-
 tibus præ mollicie genis. Atque ut majori
 auctoritate digni videantur, templa Deo-
 rum peniculamentis terram verrentibus
 ingrediuntur, quod alias, cum multo minus
 quam nunc homines saperent, vix in mulier-
 culis tolerandum esse videbatur. Inde do-
 mum regressi, post Saliarum & Sybariticarum
 epulationes, clandestinæ dominæ sinibus
 excipiuntur. Quas omnes eis voluptates
 ac delicias aurum præstare quis ignorat?
 Jam vero propter aurum eo usque sapien-
 tiæ nostro tempore perventum est, ut quam
 plurimi summam Tibarenorum & admira-
 bilem doctrinam præclare intelligant, & o-
 mni diligentia exercere studeant, quos me-

"moriæ proditum eit in ritu & ludo sum-
 "mum bonum constituisse. Nam Sanctis-
 "simorum Cardinalium domos morionum
 "& aleatorum plenas invenietis, quibus vi-
 "cissim pro libidine sua delectentur. Præte-
 "rea nostra tempestate reperiuntur, qui sex-
 "centis Philippæis scortum unum conducere
 "non dubitent. Sed unde illis auri tanta co-
 "pia? Non aliunde certe, quam ex plurimis
 "& ditissimis sacerdotiis, quæ etiam auro
 "venati sunt, ita aurum ex auro, ut semen ex
 "semine, nascitur & exuberat. Nemini igi-
 "tur dubium esse potest, auri potestatem es-
 "se maximam, qui sacro-sanctos illi magi-
 "stratus tam cupide servire videat. Quid?
 "magis ne difficile est in eis auri potestatem
 "agnoscere, quibus olim cura fuit, sacris ini-
 "tatos invisere, afflictos consolari, sacerdo-
 "tum errata, si qua erant, emendare, bonos
 "eligere, malos abdicare? Minime vero.
 "Nunc enim multo majorem nacti felicita-
 "tem optima tantum sacerdotia, unde ma-
 "gnam auri copiam hauriunt, invisere so-
 "lent; Ex quo factum est, ut Episcopi quasi
 "auri exploratores nominentur. Sunt enim
 "mitra bicorni decorati, cujus pars illa prior,
 "quamvis aliud olim significare credebatur,
 "nunc tamen aurum indicare perspicuum
 "est, posterior autem argentum. Hoc mo-
 "do auri atque argenti, quibus plane devoti
 "sunt, insignibus exornati tanquam pro tem-
 "plis

plis & aris, ita pro auro atq; argento, dimicant. Cum vero cursu revoluto quatuor anni tempora venerunt, in quibus Sacris initiandi congregantur, ita se gerunt Episcopi, ut summum auro, quem meretur, honorem atque reverentiam exhibeant. Nihil enim aliud eos, qui sese ad sacerdotii dignitatem ingerunt, interrogare solent, nisi quantum auri possideant, quot habeant prædia, quale & quantum patrimonium, quot sint eis beneficia sive præbenda; (sic enim appellant eas præfecturas, quas à Pappa Sacerdotes auro redemerunt, nempe à præbendo, vel quod ipsi pro eis habendis aurum præbuerint, vel quod illæ Sacerdotibus aurum præbeant) Qui se maximas atque amplissimas habere possessiones dixerit, plurimumque auri possidere, statim eum benignissime excipiunt, nam ab huiusmodi clericis, quibus est auri satis ampla copia, præter statutum atque ordinarium tributum, quod ab initiandis exigunt, non vulgarem etiam mantissam expectant. Itaque alacri vultu: Dignus est hic, (inquiunt) qui admittatur, & sacerdos creetur. Sed quid, si literarum non magis peritus sit, quam germen (quod dicitur) Aradicum? aut si non magis honestatem curaverit, quam a lotus quilibet? hoc nihil impedit. Aurum enim præsens etiam illum Aquinatis Poëtæ Peribomium & doctum & honestum reddere potest: At vero doctrina

"ctrina bonique mores sine auri præsidio
 "nihil profunt. Quid autem de Sacerdoti-
 "bus cujusque generis loquar? quos tanta
 "auri cupiditate flagrare notum est, ut ad
 "missas, quas vocant, devorandas, perinde
 "quasi ad operas, precio conducantur, &
 "ipsius Christi corpus atque sanguinem auro
 "vendant? Quid quod bis aut ter uno die
 "lucri causa sæpissime missantur? Deinde
 "quotrixæ? quot seditiones? quot discor-
 "diæ? quot clamores inter ipsos presby-
 "teros exoriuntur? dum primitias aut de-
 "cimas aut annua menstruaque salaria pro
 "missionibus suis exigunt, atque inter se
 "partiuntur? Persæpe etiam non alia de cau-
 "sa litigant, nisi quod eorum aliquis confes-
 "sionem peccatorum audierit ab homine, qui
 "sub alterius sacerdotis imperio fuerit, vel
 "tanquam vultur triduo cadaver ante præ-
 "senserit, quod providus negligenti surripiat,
 "Hinc præcipue solent gravissimæ conten-
 "tiones exoriri, ut à jurgiis ad crucis bacu-
 "los sæpe veniatur. Sed fortasse reqvire-
 "tis, Proceres, cur de hominis confessione,
 "aut de cadavere, dimicandum esse cense-
 "ant. An vero ignoratis, ex istis confessio-
 "nibus & cadaveribus maxima illis vectiga-
 "lia provenire? Nemo confitentem gratis
 "audiverit. Confessos vero pro peccato-
 "rum absolutione pœnas aureas pendere ju-
 "bent. Sed in funeribus maxima prædæ
 spes

spes eis constituta est ; Hinc enim uberrimi^{ce}
 fructus emetuntur. Nuper audiui sacerdo-^{ce}
 rem quendam, qui dolebat artem suam (ita^{ce}
 enim appellabat) esse pessimam, propterea^{ce}
 quod homines raro morerentur. Hæc est^{ce}
 aurea charitas. Cum enim aliquis fato con-^{ce}
 cedit, priusquam ejus cadaver sepeliunt, de^{ce}
 mercede sua pacisci volunt, nec ullum peni-^{ce}
 tus humo condi patiuntur, nisi prius soli^{ce}
 precium sibi numeratum viderint. Quod^{ce}
 si forte quis ita pauper sit, ut olim Agrippa^{ce}
 Menenius aut Valerius ille cognomento Pu-^{ce}
 blicola, is præda canibus & corvis relinqve-^{ce}
 tur : Usque adeo mori miserum est, nisi^{ce}
 aurum possideas. Cum vero contra tan-^{ce}
 tas mortis injurias aliquis magna auri vi mu-^{ce}
 nitus vitæ suæ diem clauserit, tum vero læ-^{ce}
 tissimum videre est Parochum trepidare, ne^{ce}
 parum magnifice funus apparetur, sursum^{ce}
 ac deorsum cursitare, mortui cognatos &^{ce}
 affines adhortari, ut in eo funere sibi famam^{ce}
 immortalem acquirant, nec modico auro^{ce}
 parcant, ut illius animam in cælum recta^{ce}
 subducant; Id futurum (inquiet) si septimum,^{ce}
 trigessimum, anniversarium officium, divi^{ce}
 Gregorii missas ipse celebret, quo feliciter^{ce}
 impetrato, statim in ipso funere duplicem si-^{ce}
 bi mercedem dari jubet ; Hæc enim jam^{ce}
 lex est, & jus ex consuetudine factum Paro-^{ce}
 chis omnibus. Deinde pro pheretro in quo^{ce}
 cadaver jacuit, pro pallio quo opertum fuit,^{ce}
 grandem^{ce}

"grandem tibi pecuniam numerari jubent.
 "Interim atratus mortui procurator omni-
 "bus se plene satisfecisse putat, cum ecce li-
 "gnearum, anearum, argentearum, aurearum
 "crucium multitudinem Parochus in medi-
 "um adfert, & majorem etiam, quam prius si-
 "bi data fuerit, pro crucibus istis pecuniam
 "flagitat: postremo sacerdotum etiam mi-
 "nistri, qui, dum funus efferretur, subtiliori
 "voce cum Sacerdotibus nœnias cantilla-
 "runt, & funalia crucesque circumtulerunt,
 "pecuniariam aliquam offulam præstolantur.
 "Nonne igitur pro cadaveribus, unde tam o-
 "pima spolia proveniunt, tanquam pro focis
 "& aris dimicandum est? Age vero, quid in
 "concione quotidie clamant? quid populo
 "persuadere conantur? non aliud sane, nisi
 "pauperis Parochiæ memores esse velint, ut
 "animarum parentum, fratrum, sororum, co-
 "gnatorum, affinium, misereantur, quæ
 "torquentur in purgatorio, crebrisque
 "oblationibus & Missarum celebrationi-
 "bus eas a purgatione liberent. Denique
 "hoc unum student, in hoc incumbunt, hæc
 "eorum maxima est occupatio, ut scilicet
 "quam plurimum auri congerant, & sæpe mi-
 "nas regaliter addunt, futurum ut grandines
 "omnia fata contendant, ut omnes fructus
 "pruina præcipiat, ut nihil germinent arbo-
 "res, nihil producat hortus, intereant pecu-
 "des, nisi sacerdotum populi magnam cu-
 ram

ram habeant. Hinc iram Dei maxime con-
 citari, quoties videt Sacerdotibus suis primi-
 tias, decimas, solita suffragia, denegari. Qui-
 bus certe minis populorum mentes, quibus
 nihil est supersticiosius, per terre faciunt, &
 facile quocunqve voluerint impellunt. Sed
 quorsum hæc tam multa de sacerdotibus? Ut
 intelligatis, Proceres, id quod in hac exorna-
 tionis nostræ parte tractamus, auri vim esse
 maximam, quæ religiosorum etiam men-
 tes, quibus nihil ex omni parte perfectius
 inveniri potest, imperio suo subjecerit. Re-
 stat etiam ex religiosis genus quoddam no-
 vum atqve monstrosum, quos publice qui-
 dem fratres, privatim autem patres, appel-
 lant, vulgari vocabulo spirituales: Quam-
 vis sæpenumero non tantum spirituales pa-
 tres inveniantur. Horum ego medius fi-
 dius incertus sum, an auri cupiditatem ex-
 plicem, quæ tanta est, ut ei saturandæ non
 solum memorata Pelopis aut Zopiri talen-
 ta, sed quicquid in toto terrarum orbe auri
 est, vix sufficere posse videatur, an, quod for-
 te melius est illi Apollinis oraculo paream:

Μὴ κινεῖν καμπερίαν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Video enim, quasi ea quæ oculis cernuntur,
 futurum, ut, si labyrinthum hunc semel in-
 gressus fuero, postea, cum voluero, non pos-
 sim exitum reperire. Quis enim, Bardocu-
 cillum illum frequenter excutiens, omnes
 quæ in eo sunt simulationum latebras inve-
 stigare

"stigare possit. Itaque mihi certe in trivio
 "cogitationum esse videor. Quid enim fa-
 "ciam? Laudemne? quos nunquam satis
 "damnare possem? Vituperem? qui, quic-
 "quid a me dicetur, id sibi in laudem vertere
 "conabuntur, propterea quod ab auri studio-
 "so vituperentur? Quasi vero non aurum
 "ipsi plus quam Deum ac propriam vitam di-
 "ligant. Qui cum ex castris nostris se palam
 "transfugas esse profiteantur, tamen nescio
 "quibus cuniculis ad eadem saepissime rever-
 "tuntur. Quo majore etiam odio digni
 "sunt, qui, cum publice de loco superiore,
 "quantum possunt, in auri cultores debac-
 "chentur, ipsi deinde illud idem aurum sum-
 "ma religione venerantur. Quod si suam in
 "aurum benevolentiam & observantiam in-
 "genue faterentur, equidem eos summopere
 "laudarem atque celebrarem, quemadmo-
 "dum jam in aliis religiosis supra feci: Nunc
 "cum id, quod pulcherrimum est, in se dissi-
 "mulent, & idem in aliis reprehendant, quis
 "non eos merito detestetur? quis non o-
 "mni supplicio vivos mortuosque mactan-
 "dos esse censeat? Verum jam omnibus fe-
 "re cognitum est, istos nebulones duabus,
 "quod ajunt, sedere sellis. Nam se tanquam
 "forices suo ipsorum iudicio produnt. Cum
 "omnia propter aurum audeant, atque ejus
 "gratia limites omnes verecundiae transie-
 "rint; Quippe qui jam pridem eo impu-
 "dentiae

dentia pervenerunt, ut, quoscunque obvios⁶⁶
 habuerint, ab eis stipem non solum petant,⁶⁶
 sed etiam efflagitent : Qui non solum per⁶⁶
 compita verum etiam ostiatim aurum men-⁶⁶
 dicare non erubescant : Qui totum terra-⁶⁶
 rum orbem, quam magnus est, circumvoli-⁶⁶
 tant, ut sua faciant opima cœnobia : Qui⁶⁶
 publice paupertatem professi tantum auri⁶⁶
 congerunt, ut palatiorum insanis substru-⁶⁶
 ctionibus etiam reges ipsos ad invidiam⁶⁶
 commovere possint. Quid quod ex illis,⁶⁶
 qui ligneos pedes habent, & qui nescio qua⁶⁶
 religionis simulatione palam aurum tan-⁶⁶
 gere verentur, cum interim, si fors obvene-⁶⁶
 rit, aliquid mollius tangere non vereantur,⁶⁶
 invenitur aliquis, qui vigintimillibus aureo-⁶⁶
 rum purpuream conetur à summo Pontifice⁶⁶
 causiam extorquere? Quod sane non admo-⁶⁶
 dum difficulter impetravit : quid enim non⁶⁶
 potest aurum? Taceo testamentorum au-⁶⁶
 cupia, confessionum insusurrationses, cada-⁶⁶
 verum rapinas, propter quæ cum sacerdo-⁶⁶
 tibus ἀσπονδον πόλεμον continenter gerunt.⁶⁶
 Alia profectò multa majora gravioraque⁶⁶
 non tacerem, nisi vibrantes eorum linguas⁶⁶
 atque trifulcas pertimescerem, quæ tanto⁶⁶
 feruntur impetu, ut Jovem ipsum fulmi-⁶⁶
 num jaculatorem, Vulcanumque fabricato-⁶⁶
 rem, perterrefacere facillimè possint.⁶⁶
 Nam quicumque contra eorum opiniones⁶⁶

D

ali-

"aliquid aut fecerit aut dixerit, vel qui oc-
 "cultis eorum scelera patefecerit, is statim è
 "locis superioribus, ubi suo arbitrio mugiunt,
 "hæreticus ubique prædicatur. Quis enim
 "ignorat, quam in Erasmus nostri ordinis
 "non infimum hominem debacchati fuerint,
 "quoniam in eorum hypocrises & scelera, ut
 "erat homo facetissimus, quodammodo lu-
 "serat? Illum enim impudentissima lingua
 "factiosum & hæreticum ausi sunt appella-
 "re. Sed tu credo Erasmi calamitate do-
 "ctus cautior, Alciate, fuisti, qui nihil un-
 "quam, aut certe parum, in aureis scriptis
 "tuis hoc tam impurum hominum, vel po-
 "tius belluarum, genus attigisti: Quod te
 "ideo fecisse crediderim, quia te pudeat eos
 "nominare, qui doctorum hominum nomi-
 "nibus oblivionem inducere conentur. Sed
 "(ut ad rem redeam) quamquam hoc ani-
 "mantium genus, qui se non homines, sed
 "hominum patres, appellari volunt, auri cu-
 "pidissimum sit, tamen nihil amplius de eo
 "mihi dicendum esse censeo: Cupio enim
 "eos in cupiditatibus suis inveterascere, at-
 "que marcescere, neque unquam auri fru-
 "ctum quenquam, nisi qui eos omnes stran-
 "gulet, degustare. Quare ad alias potius gen-
 "tes atque nationes, in quibus aurum poten-
 "tiam suam experitur, orationem nostram
 "convertamus, quæ mihi pars erit multo fa-
 cilior

cilior & expeditior. Cum enim ipsos reli-
 gionis nostræ principes, & religiosos o-
 mnes, quibus nihil absolutius esse potest, au-
 ro servire declaraverim, quid mirum vobis
 esse videbitur, si eandem alii viam sequan-
 tur? Quid enim aliud quam aurum toto
 vitæ suæ tempore quæerunt artifices, & popu-
 lares? qui dies noctesque faciendis operi-
 bus invigilant, calorem, frigus, inedia, sitim
 patiuntur; nihil est tam durum & aspe-
 rum, quod non æquo animo ferant, non alia
 certe de causa, nisi ut aliquid tandem auri
 congestum in scriniis suis videntes gaude-
 ant. Quid mercatores? qui non solum terras,
 verum etiam tempestatibus agitata maria,
 perambulant, omnibus se periculis exponunt,
 non ventis horridum mare pertimescunt,
 non si cœlum ruinam minari videatur, igno-
 tos adeunt populos, cum exteris & barbaris
 nationibus quovis periculo familiaritatem
 ineunt, nihil denique est, quod auri cupidita-
 te libentissime non efficiant, merces suppo-
 nunt, corrumpunt, adulterant. Jam vero
 viri nobiles, qui prædiis & agris maxime lo-
 cupletes sunt, aut quibus res pecuaria fru-
 ctuosa est, frumento, vino, caseo, cellas, apo-
 thecas, horrea, studiosissime complent, do-
 nec annona chara sit, tunc auro permutant
 omnia, quæ prius a vide congregarant. Quid
 de Jurisconsultis dicam? qui auri desiderio

juris nodos & legum ænigmata quam diligentissime perscrutantur, & inextricabiles plurimorum Bartolorum opiniones dissolvere contendunt & chartis totas noctes immoriuntur, mane vero proferunt in lucem grandia consilia, quæ singula nulli mortalium minoris quam decem aut viginti nummis aureis addicant. Transeo causidicos, notarios, procuratores, qui totos dies in judiciis blaterant, & tota mendaciorum plaustra totas naves, profundunt, causasque clientum de die in diem prorogant, donec crumenam eorum vacuum viderint, &

Nequaquam fundo suspiret nummus in imo.

Tum vero demum aut causam omnino rejiciunt, aut quavis iniqua conditione quamprimum expediunt. Quid medici, quos Aristophanes *σκατοφάγες* ab edendo stercore nominavit; nonne propter auri cupiditatem non tantum morbos, vulnera, ulcera, pustulas, carcinomata, sed etiam lotium, excrementa merdas, intuentur, considerant, odorantur? Taceo ludi magistrorum, pædagogorum logistrarum, calamitates & cruces, qui ob auri paucillum totos dies cum pueris insanunt. Jam vero publici Professores, licet ipsis scientiis, qui est unus animorum pastus suavissimus, præcipuè delectari videantur,

ORATIO.

53

antur, tamen ab auro facile superantur, & eo potissimum se conferunt, unde major auri copia refulserit. Testis est hujus rei notissimus Alciatus, qui quocumque auri flatus spiraverit, eo vela dat. Testes sunt omnes alii, quos nominatim appellare post Alciatum nefas esset, ne fortasse cum tanto viro comparari viderentur. Age vero, sanctissimum illum ordinem senatorium, qui res hominum gravissimas regit ac gubernat, quis nescit ab auro plerumque regi ac gubernari? Ac mihi quidem de his rebus sapissime cogitanti potestas auri maxime omnium admiranda videri solet: Nihil enim à natura tam alte positum est, quo aurum non aspiret. Quid altius aut sublimius senatorum mentibus excogitari potest? Ad eas tamen si copiosum aurum accesserit, facile dominatur, & arbitrio suo sursum ac deorsum versat. Hinc illa sententiarum ac iudiciorum fulmina, quæ totas sapissime domos & familias auro inimicas evertunt. Sed quæ de causa creditis, Proceres, Reges & Imperatores, ut de illis etiam aliquid dicam, tot & tanta bella continenter gerere? perpetuo subditos expilare? tam magna vectigalia quotannis, vel singulis potius mensibus, exigere? Non hoc certe alia de causa faciunt, nisi ut quamplurimum auri possideant. Quo fit, ut,

D 3

cum

cum gentes ac nationes imperio suo subji-
 ciant, ipsi deinde auro subjiciantur, &
 tanquam pretiosa quædam auri manci-
 pia fervire non inviti compellantur. Mi-
 ra est enim auri vis, quæ volentes & læ-
 tantes homines, quocunque voluerit, im-
 pellit. Nam si bene consideretis, Proce-
 res, Regibus & Imperatoribus nihil præ-
 ter aurum sapere invenietis. Cujus est
 enim illud tantopere vulgatum & celebra-
 tum dictum:

Lucribonus est odor ex re qualibet?

Nonne totius orbis terrarum Principis
 Vespasiani? qui usque eo non solum di-
 lexit, sed etiam admiratus est, aurum ut
 non vectigalibus contentus amplissimis,
 non ærario quod omnium locupletissimum,
 non populorum atque nationum tributis
 & stipendiis infinitis, etiam in vendendo
 lotio studuit aurum sibi comparare. Hoc
 quidem certe nonnulli rerum imperiti,
 præsertim in tanto principe, non satis hone-
 stum esse censebant: Sed, mea quidem
 sententia, valde fallebantur; Lucrum e-
 nim, ut est in veteri proverbio, longe pu-
 dorem antecellit. Non igitur sibi turpe
 existimat sapientissimus princeps, si cupi-
 disti-

diffimus auri judicaretur, cum exploratum haberet, omnes, qui se antecesserant, auri fuisse quam appetentissimos: Ex tot enim Regibus & Principibus, qui post hominum memoriam dominati sunt, nullum omnino reperietis, quem non aurum sibi servire compulerit. Sed quid dico de Regibus? cum omnes possim mortales quasi uno fasce complecti; nullus est enim nisi fortasse stupidus, & ab omni humanitate alienus, cui non aurum mirifice placeat: Nam etiam illius ætatis aureæ beatissimis temporibus omnes auro serviebant, quod bifrons ille Janus, qui videt ἀνα πρόσω καὶ ὀπίσω, apud Ovidium his versibus attestatur:

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,

Cujus non animo dulcia lucra forent.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.

Vix ultra quo jam progrediatur habet.

Et quisquam adhuc dubitabit, quin illud potentissimum sit propter quod Pappæ, Cardinales, Episcopi, divina atque humana jura omnia despiciunt; quod etiam illi, qui paupertatem jurejurando professi sunt, summo

cultu venerantur? quod omnes artifices,
 mercatores, nobiles, jurisconsultos, medicos,
 Senatores, Principes, Imperatores, Reges
 suo arbitrio regit ac gubernat? Cui denique
 parent omnes totius orbis terrarum natio-
 nes? Neque enim expectare vos arbitror, ut
 muliebri genus in medium adferam; cum
 vos non ignorare certo sciam, non alium
 apud mulieres Deum præter aurum esse,
 nec eas omnino sibi placere, nisi totæ aureis
 ornamentis eluceant, & nisi auro capillos,
 frontem, auriculas, collum, humeros, brachia,
 manus, pectus, crura, pedes, totum denique
 corpus, exornaverint. Date mihi mulierem,
 cui contigerit auri divitem esse, quo facilius
 intelligatis, quid in ea possit aurum, quid non
 sibi licere putabit? quos fastus? quas ani-
 morum inflationes præ se feret? quot pedis-
 sequarum greges? quot anteambulones?
 quot domi forisque deliciae? quot circa mol-
 lissimi corporis cultum fastidia? quæ in facie
 fucationes? quæ in toto capite luxuriæ? quæ
 in vestibis expressæ libidines? Omnes alias
 præ se contemnet atque despuet, per plateas,
 per vicos, per fora, per compita, Penelopæis
 undique stipata procis molli carpento prove-
 hetur, unde quaque versus oculos vibrans
 unumquemque diligenter annotet, & eum
 cui velit annuere, & se permolendam sub-
 jicere, deligat. Quin propter auri copiam
 omni-

omnibus se admirationi esse putabit. Quid quod generatim omnes se ipsas mulieres auro vendunt? Quamvis enim adeo pudicæ esse videantur, ut eas Penelopas aut Lucretias existimes, tamen oblata auri copia statim se prostituunt & quod ait Aristophanes τὸν πρῶτον τρέψασιν. Nec ex omnibus aliquas tantum existimetis auro vinci posse, cæteras autem esse prorsus invictas, Non ita est, omnes sui similes sunt, nec ulla est, quæ præter cæteras insignem aliquam naturam fortita sit. An vero ignoratis, Proceres, proverbium illud à Græcis tantopere celebratum:

εἰρθέντος λύχνου γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή.

Sublata lucerna mulier omnis eadem est? Facite sperent occultum fore factum suum, & eis aurum offerte, profecto vel reginas ipsas hac ratione facile expugnabitis, etiam si Alcestide vel Artemisia castiores esse videantur. Acrisius Græcorum Rex filiam suam Danaën ferrea turre concluserat, nihil tamen illa ferrea turris obstetit auro, quo minus regiam filiam expugnaret. Nam postquam à Jove plurimum auri sibi Danae promitti sensit, quamvis ex fætu suo patri futurum exitum non ignoraret, tamen Jovem ad sese per impluvium introduxit. I nunc & dubita,

D S

num

num ab auro mulieres superari possint. Illud quidem certe maxima mihi dignum esse videtur admiratione, quod tam imbecillo generi, quale mulierum est, tantam vim aurum plerumque adferre solet, ut nullo modo tolerari posse videantur: Quod etiam Satyricus Poëta cum vehementer admiratus fuisset, in carmen illud prorumpere non dubitavit:

Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives.

Satis mihi multa verba fecisse videor, quare sit aurum nobilitate præstantissimum, potestate maximum; Restat ut de felicitate, quam adfert hominibus, pauca dicamus. Omnis enim res (ut vere & præclare cecinit Horatius.)

*Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam & Rex,
Et quicquid volet, hoc velut in virtute paratum
Speravit magne laudi fore.*

Clari natales nisi propter aurum splendorem suum obtineant, protinus ad obscuros, tanquam ab equis ad asinos, revolvuntur.

Virtu-

Virtutem & gloriam etiam argento posthabendam jam antea docuimus. Adde quod spernitur etiam virtus ac nobilitas, nisi fuerit auro copulata. Quemadmodum noster idem Horatius aperte testatur:

Et genus & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Quid autem honor aut gloria medico prodest? id certe quod eqvo clitellario phaleræ, aut deformissimæ fucus mulieri. Licet enim adeo claro genere natus sis, ut ipsum etiam Codrum nobilitate superes, tamen nisi fueris etiam (quod ajunt) γενναῖος ἐν βαλαντίῃ, tibi cum claritate & gloria tua licebit esurire. Nullus te alacri vultu excipiet, nullus famelico tibi cibum impertiet, nullus te consanguineus aut affinis agnoscat. Quod si potens & sapiens præter cæteros fueris, confestim, amissa pecunia, potentiam etiam atque sapientiam amisti. Aurum est, quod bona secum adfert omnia, virtutem, gloriam, famam, nobilitatem, fortitudinem, sapientiam, omnem denique felicitatem, & quod vere dixit Ovidius:

*Dat census honores,
Census amicitias, pauper ubique jacet.*

Si forte

Si forte quis Gigantum fraterculus bene favente fortuna maximam auri vim sibi comparet, hunc auri præstantia nunquam antea cognitum, tanquam ab Eteobutadis originem ducat, in omni terrarum angulo notissimum efficiet. Omnes ejus civitatis homines, in qua dives iste fuerit, etiam summo genere nati ad eum accurrent, salutabunt, ducent, ac reducent, nullus erit qui sibi quærendum existimet, quas habeat majorum imagines, quos avos excellentes dinumeret, eum satis superque nobilem aurum efficit. Quid autem felicius aut optabilius esse potest, quam omnibus placere? ab omnibus suspici? mortales omnes amicos habere? nobilitate cæteris omnibus antecellere? neque quæquam esse vestrum opinor, Proceres, qui non hominibus ab auro hæc omnia præstari intelligat, atque etiam longe majora, cum nullius sit tantum flumen ingenii, nulla dicendi tanta vis tantaque copia, quæ possit enarrare, quanta mortales ab auro felicitate cumulentur. Sed tamen etiam inter auri divites aliquod
 discrimen

discrimen est, Nam qui plus auri possederit, is & majorem gloriam & firmiterem felicitatem consequetur. Neque enim putetis sine causa jam pridem illud vulgo jactatum fuisse:

Quantum habet quisque, tanti fit.

Sed quid argumentis opus est? Cum nos ipsi quotidie videamus, auri divites omnium esse clarissimos, & inter eos ditissimum quemque auctoritate & gratia longe ceteris antecellere? quod nusquam sane melius quam Romæ conspicitur; Ibi enim summus honor auro tribuitur. Ibi Philonidas meros & Margaritas, vel etiam si qui rudiores memorantur, videbitis propter auri copiam in summo dignitatis gradu constitutos. Ibi propter aurum multi homines digni judicantur, qui in puppi sedeant, & Christianæ religionis clavum teneant. Unum est, ut ingenue fatear, quod in tanta felicitate positus auri divitibus timendum esse videatur, ne scilicet aliqua portione tollantur. Non enim possunt in una
re plu-

"re plures esse commoditates, ut non
 "insit etiam aliquid incommodi. Sed
 "tamen huic periculo facillime suc-
 "curritur, namque omnes fere religio-
 "nis Antistites quosdam habent mini-
 "stros, quos prægustantes vocant, in
 "quibus tanquam in Caribus singularum
 "dapium periculum faciant, & inve-
 "niuntur fatui, qui propter aurum hoc
 "illis officium præstent. Neque mihi
 sane in dicendo prætermittendum est,
 quantum hominibus fortitudinem au-
 rum afferre soleat, cum præsertim hoc
 ad beatitudinem pertinere nemini du-
 bium esse possit: Quamquam, ut ipse ni-
 hil dicam, vos ipsi cognoscere potestis,
 quam fortes & potentes sint auri posses-
 sores, quibus ad digiti crepitum omnes
 obediunt. Satis est, ut alicui dicant, hoc
 negotium bene curato, & bene curabi-
 tur; Alteri vero, veni mecum, &
 libentissime veniet. Quid amplius de-
 sideratis? An ipsis Regibus & Impera-
 toribus ita pareretur, nisi etiam ipsi au-
 rum possiderent? Imo vero nullus Rex
 esset aut Imperator, nisi esset aurum. Au-
 rum

rum est, quod omnes adfert dignitates, magistratus, potestates, dominatus, imperia. Nullus absente auro nostro tempore Pappa, nullus Cardinalis, nullus Episcopus fieri potest. Sed quid mirum? cum neque sacerdos quisquam aut clericus, nisi praesente pecunia, designetur? Aurum Reges, aurum Principes, aurum Praetores, aurum denique omnes creat magistratus. Non esset inter mortales ulla fortitudo, si quis aurum demeret. Facite sciat aliquis arcam suam auri plenam esse, nihil illo fortius, nihil imperiosius dici aut excogitari potest, nullum penitus mortaliū verebitur, omnia confidentissime faciet, & loquetur, omnia omnibus minabitur, nec quisquam ejus verbis resistere poterit, clamando, contendendo Stentorem aut Gradivum Homericum superabit. Illud enim scitum est:

Χρυσῶ λαλῶντος πᾶς ἀπρακτεῖται λόγος
 Quare creditis Romanos olim totius orbis terrarum imperium obtinuisse? non aliam medius fidius ob causam, nisi quia plurimum auri congesserant, quo duce cunctas hostium copias facile profligabant.

bant. Qvis enim non vel legit vel audivit dictum illud Philippi Macedonum Regis? qui cum arcem quandam invadere decrevisset, & exploratores, quos ad eam miserat, retulissent, eam expugnari nullo modo posse, propterea quod esset munitissima, petivit ab eis an adeo angustum haberet aditum, ut ad eam neque asellus onustus auro posset accedere? Voluit enim prudens Imperator significare, nihil esse tam munitum, quod auro non possit expugnari. Neque enim Alexander ille Magnus tam longe lateque fines imperii sui propagasset, neque Darium Persarum Regem ter bello superasset, neque totam fere Indiam ad Gangem usque fluvium penetrasset, nec denique tam magna atque præclara gesta, qualia prædicant omnes, gessisset unquam, nisi quocumque ivisset magnam secum auri copiam advexisset. Quanta vero illa felicitas est, quod, quicquid auri dives tentaverit, id ex sententia succedit? quod, quicquid vel imprudenter fecerit, id omnes homines vehementissime compro-

comprobant? Quid? Illud quanti tandem faciendum est, quod etiamsi stulte vel dicat vel faciat quid auri dives, id ab omnibus sapientissime factum iudicatur? Est enim in illis probatissimis Græcorum sententiis ille venustus senariolus:

Τὸν εὐτυχῆντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.

Quid quod auri diviti quemadmodum crescit amicorum copia, ita etiam cognati, propinqui, atque affines multiplicantur, plures quotidie patruales, amitini, consobrini, avunculi, patrui, compatres, commatres inveniuntur: Qui vero nullum habent cognationis commentum, quo se in divitis familiaritatem insinuent, ii, si forte paulo nobiliores sunt, eum fratrem charissimum vocant, sin autem inferiores fuerint, Patronum aut Dominum salutare non dubitant. Denique jam pridem apud Græcos tritissimum est vetustate proverbium: τῶν εὐτυχῆντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς. Hæc cum intellexisset

Εἰσακούσας ὁ Σάπιας ἄνθρωπος ἔφη· ὁ εὐτυχῆς ὁμοῦν πάντων συγγενὴς ἔσται.

Sapiens

sapiens ille Tragicus Euripides, ita precatus est : Aurum ex omnibus maxime domi habere cupio, nam servus etiam, si dives fuerit, in honore ac precio habetur, at vero liber homo, cum pauper est, nihil omnino potest efficere, quare felicitatem in auro positam esse tibi existimes. Sed alibi longe clarius & apertioribus (ut ajunt) tibiis auri laudes canit : O aurum, mortalibus pulcherrima felicitas, nam neque mater nobis tales affert voluptates, nec tam filii hominibus, nec tam pater charus est : Quod si Venus oculis suis ita fulget, non mirum est si infinitos amores nutriat. Quanto igitur nos studio convenit aurum acquirere, quod tantas homini felicitates afferat, ut eis nihil omnino desit ad bene beatique vivendum, qui aurum abundantissime possederint ? Multi quidem genere nobilissimi fuerunt, ut ii, quos Deorum filios credidit antiquitas, Minos, Rhadamantus, Æacus ; Multi fortitudine clari extiterunt, ut Hercules, Theseus, Achilles ; Nonnulli justitiæ nomine celebrati sunt, ut Solon, Aristides,

stides, Phocion; Aliqui dicti fuere sa-
 pientes, ut Thales, Bias, Socrates;
 Alii denique aliis in rebus nomen cla-
 rum adepti sunt: Sed cui simul hæc
 omnia contigerunt, ut idem nobilis-
 simus, idem fortissimus, idem justissi-
 mus, idem sapientissimus diceretur,
 præter auri possessores neminem un-
 quam fuisse legimus, hi soli virtutes o-
 mnes consequuntur, hi nobilitate cæ-
 teris omnibus antecellunt, hi fortitu-
 dine parem nullum inveniunt, de ju-
 stitia quid dicam? cum illam in auri es-
 se potestate omnes intelligant? Age vero
 quis divite sapientior? quis illustrior aut
 gloriosior? Quot enim Regum & sum-
 morum Principum nomina delevit obli-
 vio, at vero propter aurum ignobilissi-
 mi etiam sempiternam gloriam adipi-
 scuntur. Cur enim Æsopus Tragedus
 tantopere nemoratur? cur Claudii Cæ-
 saris libertus Pallas? Cur Narcissus ejus-
 dem Principis libertus? Cur Pythius
 Bythinius? cur Mamurra? cur Cissamis
 Cous? cur Callicrates Caristius? Cur innu-
 merabiles alii? Quid quod etiam modicum
 opportune repertum aurum æternam

potest homini gloriam acquirere? quid enim Gygi illi Platonico tantam felicitatem tantamque famam tam subito comparavit? nonne, si quid Platoni credimus, aureus ille solus annulus, quem, cum terræ hiatus fuisset ingressus, in digito jam putrescentis cadaveris fertur invenisse? Tantam enim aurum illud in se vim habuisse fertur, ut, qui id haberet, à nemine penitus videretur, cum interim ipse suo arbitrio posset alios conspici, quod cum animadvertisset Gyges, ad Lydorum Regem profectus eum brevi tempore & Regno & conjugē & vita spoliavit. Sed certior, utpote etiam recentior, Titi Aufidii gloria, qui cum pauperrimus esset, & vectigalium particulam in Asia redemisset, inde auri dives effectus, non ita multo post ad tantum pervenit honoris gradum, ut eandem Asiam proconsulari imperio obtinuerit: Quid de P. Rutilio dicam? qui non publicanus sed longo tempore publicanorum administer in Sicilia fuit, & cum per hanc artem tam abjectam nonnihil auri sibi corrogasset, Romæ consulatum obtinuit, resque plurimas

rimas praclarissime gessit. Nec te P. Ventidi majus felicitatis exemplum silentio praeteribo: qui in Asculo oppido mulas agitare primo consueveras & a Pompejo Strabone captus in carcerem conjectus es; Sed nescio qua deinde fortuna, tibi certe maxime propitia, dives auri factus ad consulatum aspirare non dubitasti, quem adeptus etiam adversus Parthos, quos nullus unquam Romanorum antea domuerat, exercitum educere ausus es, quibus felicissime devictis victor Capitolium triumphali curru celebrasti. Haec est auri felicitas & praestantia. Quare agite, sapientissimi Proceres, aurum totis viribus acquiramus, aurum amemus, aurum veneremur, auro post omnia ponamus. Hoc solum nos beatos facere & conservare potest; huic igitur uni studeamus, in hoc unum incumbamus, hoc manibus pedibusque petamus, quod qui possident, ij soli beatissimi esse videantur. Quis non omnia pericula subeat? quis dies & noctes non elaboret? quis non etiam vitae discrimine aurum quaerat? quod so-

lum (ut copiose docuimus) nobilitatem, potentiam, beatitudinem, hominibus adferre potest. Certe & si qui tam dementes sunt, ut aurum non diligant, à vobis quidem, certo scio, non solum illud diligere, sed etiam vehementer amari: Quia una de caula vos omnium, quos Sol aspiciat, estis beatissimi. Itaque sæpius à Diis immortalibus ego, id quod nunc tandem obtigit, studiose totaque mente precatus sum, ut vobiscum habitare mihi liceret, & aliqua ex parte vestra felicitate perfrui, quod cum mihi summa benignitate Deorum immortalium acciderit, alacriter jam una vivamus, optimi Proceres, & nova semper auri comparatione vitam in melius quotidie transferre studeamus.

F I N I S.



AB = 155548

ULB Halle 3
005 500 524



11

VD 17



DA
CON
PH





PHILOCHRYSUS
SIVE
DE LAUDIBUS
AURI

Orationes duæ,
Omnis generis hominum, præcipuè
Ecclesiasticorum, vitia falsè
traducentes,

quarum
Priorem inter Majoragii *αὐξάνδολε*
Mediolani repertam, & Ultrajecti Anno
1666 primùm editam, nunc reculam

sisit,
Posteriores ejusdem argumenti,
ipsis Kalendis Septembribus Anno 1690
Kiloni habitam,
adjiciens

DANIEL GEORG. MORHOFIUS.



LUBECÆ.

Sumptibus PETRI BÖCKMANNI,
ANNO Christi M DC XCI.

